
ACTA SYNODALIA

Digitized by Google

762

Digitized by Google

ACTA
SYNODALIA
AD
ECCLESIAM CENETENSEM
Per
Illustrissimum, ac Reverendissimum D. D.
FRANCISCUM
TREVISANUM
Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. Cenet: Comitemq; Tartij &c.
Prælatum Domesticum, & Assistentem &c.
PERLATA.



ANNO Domini M DCC XXI. Eius vero Episcopatus XI. & Pontificatus SS. D. N
INNOCENTII Papæ XIII. primo.

Excudebat Cenetæ Dominicus Bordoni Typographus Episcopalis, & Pauperum,
Superioribus Annuentibus.

19

Digitized by Google

764

Digitized by Google

Illustrissimo ac Reverendiss. DD.
FRANCISCO TREVISANO
Episcopo Cenet: Comitique Tartij &c. Prælato Domestico & Assistenti &c.

PETRUS MARIA SUAREZ
F. S.

E*cce tibi*, *PRÆSUL ILLUSTRISS. ac REVEREND. collectas jam atque conscriptas saluberrimas sane leges, quæ per Tè, ad optimam vitæ institutionem cum maxime facere viderentur, in Diœcesana Synodo perlatæ sunt. Justis eas vindicijs repetis, ad me enim quod attinet, quod in me fuit egi; ut quæ mihi exquirenda & conscribenda mandaveras exponerem, digererem, & certo ordine collocarem. Quare onus hoc laboris, Te Authore cum susceperim, Vicariaque opera mea in rebus hisce transigendis uti cum volueris, (quod quidem in maximi beneficij loco habere me oportere intelligo,) quidquid idest quod composui*

sui atque confeci tibi uni video esse tribuendum. Si quid occurret, ut certe occurret, quod minus Latinum videatur; scias me rerum magis, quam verborum rationem habuisse: Plura enim a Sanctis Patribus, unde fere omnia decerpsi, & constituta, & litteris mandata sunt, optima illa quidem & maxime utilia, sed ab incorrupta latini sermonis integritate & consuetudine aliquantum remota. Errores fortasse aliquos deprebendes, dabisque facile veniam Typograpbo & tempori. Recens enim instituta per Te Typographia, quæ inserviret Pharmacopeæ; quam jamdiu Pauperibus aperuisti, (ut fere omnia solent esse rerum initia) ita minime ordinari potuit, ut singula ex animi sententia perbelle succederent. Erit Benevolentiæ erga me Tuæ, qua me Sororis Tuæ Filium, quasi filium omni tempore es prosequutus, labores hosce meos qualescumque accipere; qui si tibi probabuntur, stimulos ad majora in dies suscipienda mihi addi sentiam. Vale.

Cenetæ kalendis Julijs MDCCXXII

CAPUT

Digitized by Google

INDEX TITULORUM

Digitized by Google

766

CAPUT I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CUM de nulla re magis, quam de Animarum salute Pastores debeant esse solliciti, & pręcipua eius rei ratio in ijs, quæ ad Catholicam Fidem pertinent, sita sit; quæ quidem in primis Sanctissimę Trinitatis mysterio continetur, fit hinc, ut inde nobis ducendum esse exordium putaverimus, ea mente, atque animo, ut quæ Filios nostros carissimos ad vitam æternam pertinentia docere statuimus, ab Ipso Scientiarum Fonte iucundius haurire possint. Hac porro ratione (*a*) Sacrorum non modo Conciliorum vestigia sectabimur, verum etiam faci ius adiumenta, quæ ad laborem susceptum videntur facere, impetrabimus, si primos labores ei humillime consecrabimus.

Et quia, teste Bernardo (b) *inquirere de Trinitate perversa curiositas est, credere autem, & tenere, sicut Sancta Ecclesia tenet fides & securitas est:*(c)*neq: in ullius rei, quã tu huius omnino altissimæ ac difficillimæ notitia, ac explicatione aut periculosius versari, aut gravius errare possumus*, ideo intellectũ nostrum in obsequium Fidei captivantes, Trinitatis arcanum non qua ratione probetur, sed a quo dicatur, animadvertamus, firmiter credamus, fideliterque confiteamur. (*d*) Unus itaque est verus Deus, Æternus, Immensus, & Immutabilis, Incomprehensibilis, Omnipotens, & Inneffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Personæ, sed una essentia, substantia, seu simplex omnino natura. (*e*) Pater a nullo, Filius a Patre solo, non factus, sed genitus, & Spiritus Sanctus ab utroque procedens, sine ullo initio, ac sine fine, consubstantiales, & coęquales, & coomnipotentes, & coeterni;

a] *Decr. li. 1. de sum. Trin. & Fid. Cath. 6. Decr. lib. 1 eod. tit.*

b] *D. Bern. i parv. serm.*

c] *Cathec. Rom. Pij V. cap. 3.*

d] *ex cap. 1. Decr. huc tit.*

e] *ex Symb. D. Athan. ex dic. cap. 1.*

Digitized by Google

ni: unum universorum visibillium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium principium. Pater dicitur prima Persona, non quod aliquid maius, aut, minus prius, aut posterius tempore reperiatur in Trinitate, sed quod sit ipse Principium sine principio ab æterno generans Filium. (*f*) Filii Nativitas, seu Generatio duplex est: una secundum Deitatem, qua ab æterno, & ante omnia sæcula Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri, ex Patre natus est: de qua Isaias inquit (g) *Generationem eius quis enarrabit*! Altera secundum Humanitatem; nam propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlo, Divinamque, & humanam naturam coniungens, incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine & Homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, passus, & sepultus est, & ressurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, & mortuos. (*h*) Demum Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, a Patre, & Filio procedentem, eiusdemque cum Patre, & Filio substantiæ firmiter credimus; & confitemur: id enim Sancta Mater Ecclesia (*i*) ab eodem Spiritu Sancto infallibiliter edocta fatetur, & credit.

Sed quia (*K*) *qui Deum fide tenet, adhuc fidei speciem ignorat*, ultra progredientes declaramus, eam esse Fidem Catholicam, quam una (*l*) & universalis Fidelium Ecclesia (m) *extra quam nullus omnino salvatur*; cum Deus ipse sit eius hæreditas, veluti bonorum omnium fundamentum, & basim nobis omnibus servandam proponit: & eam vocat D. Paulus (n) *sperandarum substantiam rerum*; *argumentum non apparentium*; quæ quidem continetur (*o*) partim in Sacris Scripturis, partim vero in Traditionibus, & Ecclesiæ definitionibus.

Huius igitur Ecclesiæ auctoritate, (*p*) & Sacrosancti Concilij Tridentini decretis innixi, ad Catholicam Fidem illam, quam profitemur tuendam, & exequendam: (q) *corde etenim creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: in primis committimus, & mandamus, ut in hac nostra Diœcesi provisi de Beneficijs quibuscumque Animarum Curam habentibus, a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, coram Nobis, vel coram Vicario Nostro Generali Orthodoxam Fidem profiteatur, & in Romanę Ecclesiæ obedientia se permansuros jurejurando obstricti promittant. Ad Canonicatus autem, vel Dignitates promoti non solum coram Nobis, seu Vicario Nostro Generali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur. Secus si fecerint ne fructus inde faciant suos: quam item pęnam ceteris omnibus quæcunque Ecclesiastica Beneficia obtinentibus, ni paruerint, inflictam esse intelligimus.

f] *Symb. Nicę. apud Ruf. & in gestis Cōcil. ex Cathec. R. c. 3. num. 8.*

g] *Isa. 53.*

h] *ex dic. Symb. Nic.*

i] *In Concil. Later. quod habetur in c. 1. hoc tit.*

K] *D. Greg. 26. Moral.*

l] *C. 1. hoc tit.*

m] *D. Aug. de Fide c. 1. c quoniam vetusto* xxiv *q. 1. & ibi D. Hier. ad Damasum*

n] *Ad Hebræos 11. 1.*

o] *Vide Cōc. Trid. Ses. 24. de canō. Scri.*

p] *Ses. 24. de Ref. cap. 12.*

q] *I Corint. 13.*

Cum autem a Prædecessoribus Nostris (*r*) statutum sit, ne Concionatores cuiuscumque Ordinis sint, nec in propriis Ecclesiis, nec alibi, nisi facta Fidei professione Verbum Dei prædicent, neve Sanctæ Inquisitionis Advocati, & Procuratores munus suum sine huiusmodi Fidei professione exequantur; eisdem inhærentes decretis, & (*s*) Summorum Pontificum Constitutionibus, hoc servari volumus, & demandamus. Hinc de rebus hisce omnibus eos Parochi admoneant, qui nomina eorum in sua Parochia talia exercentium, infra mensem a die publicationis huius Constitutionis ad Nos deferant, ut de illis possimus cognoscere: quod illis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis ad arbitrium Nostrum præcipimus. Porro in hac nostra Episcopali Cancellaria peculiaris servetur Liber, in quo nomina eorum, qui Fidei professionem emiserint, vel emittere debeant imposterum recenseantur.

r] *Const. Syn. Cenet. hoc tit*

s] *Pius iv in Bul. Iniunctū*

Pius v. Bul. in Sacrosancta.

§

DE HÆRETICIS.

(*a*) Dubius in Fide infidelis est, & (b) *Infidelium Pater est Diabolus, Babylon Mater*, ait Augustinus. Fundamentum igitur totius Catholicæ Religionis Fidem esse fatendum est, quæ si ex Ecclesia eruatur, pulcherrimum certe spiritualis edificij atrium elabatur, & corruat necesse est. (*c*) Hæreticos itaque teterrimos eius hostes, qui illam manibus, quod aiunt, pedibusque labefactare conantur, reijcit, repellit, & ad ignem æternum cum Diabolo, Angelisque eius dignos esse qui amandentur, apertissime confitetur. Iure itaque & Nos rogamus, atque adeo cum Ecclesia indicimus, ne quis tam audax, scelestusque sit, ut veram deferens Fidem, aut in dubium eius veritatem revocans (d) *peccato peccatorum maximo sese obstringat*: qui enim non credit, iam judicatus est, (e) *omnique homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque Eleemosina, quantumvis magna, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem*,

a] *C. 1. de Hæret.*

b] *D. Aug. sup. Psal. 26.*

c] *C. 3. de Heret.*

d] *D. Aug. serm. 60. de Verbo Dom.*

e] *C. firmissime. de Haret. in fine.*

Hinc ut hoc pessimum Hæreticæ pravitatis monstrum omnino tollamus, iuxta sensum Sacrorum Canonum (*f*) excommunicamus prius, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus Sanctam Ortodoxam, & Catholicam Fidem, condemnantes Hæreticos omnes, quibuscunque nominibus censeantur. (*g*) Credentes præterea defensores, & Fautores Hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere.

f] *C. excommunic. & c. sicut. de Har.*

g] *C. quicūq. de Haret.*

Ad hoc autem, ut capitalissimam hanc pestem ovibus nostris pro

virili caveamus, indicimus Parochis, & denunciamus, ut siquem in suis Parochiis cognoscant, qui, quod ad Fidem Catholicam attinet, pravis deturpet opinionibus, vel in hæresis suspicionem venire videatur (*h*) Sacræ Inquisitioni denuntient, ut tale scelus omnino tollatur. Parochianos quoque suos moneant, ut idem facere studeant, quod si neglexerint, sciant se Lethali culpa detineri; & recusantes a sacramentali Confessione (*i*) arceant.

h] *Ex Concil. Prov. Aqui. c.* 2. *§ Parochi.*

Ex Concil. Prov. Med. c. 1. *§ Parochi*

i] *Ex Syn. Aquil. § de Hær. insuper*

Observent præterea attente Parochi mores, dicta, & facta eorum, qui vel suspecti sunt, vel e finibus veniunt Hereticorum. Porro inquirant in sua Parochia, an aliquis reperiatur, qui diebus Festis (*K*) rei Divinæ interesse contemnat, qui res sacras, & Sacramenta irrideat, qui Ecclesiasticas Censuras pro nihilo faciat, & huiusmodi scelera adversus Catholicam Religionem committere audeat, & siquem in ijs deficientem repererint, de re hac Sacram Inquisitionem admonere non omittant.

k] *C. cum ex iniuncto de Hæret. c.* 1. *de Maled.* xvi *q.* 1. *c. Sacerdos*

§

DE VENEFICIIS,

&

Magicis Artibus.

NON longe ab Hæresis crimine Veneficia distant, Sortilegia, Fascinationes, & Magicę artes, quibus quidem Diabolus peccatorum, & scandalorum Magister stultorum mentes perstringit, ut insanis decepti illusionibus, & præstigiis, ij sibi facilius credant, quos dilaniare desiderat: hinc (proh dolor!) Fides illa, quæ Sanguine Agni pacifici madefacta candidos innocentiæ flores ferre debet, a Lupi crudelitate subversa tribulos gignit, & confusiones.

Nos igitur, ut pro viribus, procul a finibus nostris, si reperiatur, pestiferum hoc quoque malum eliminemus, iuxta Sacrorum Canonum (*a*) sanctiones omnino ab hac nostra Diœcesi sub pęna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibemus quamcumque Magiam, Incantationem, Divinationem, omneque Præstigii, ac Sortilegii genus tam active, quam passive.

a] xxvi. *q.* 5. *cap. si quis Ariolos, &c quod autem.*

(*b*) Divinationes autem experientes, & mores Gentilium subsequentes, vel in domos suas hujusmodi homines introducentes exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi caussa; Dæmones insuper invocantes, Circulos signantes, Statuas fingentes, Ariolos, Sortilegos, Conjecto-

b) *Dic. c. quod autem. & cap. Qui divinationes*

Conjectores, de Animabus cum Diabolo paciscentes, aliisque maleficiis quomodocunque operam dantes, si ex pravis horum hominum operibus mors alicui inferatur (c) Curiæ Sęculari eos trademus; sin minus, ultra supradictam pœnam excommunicationis, aliis severioribus pœnis spiritualibus iuxta delictum arbitrio Nostro multabimus. Quod etiam de exercentibus Chiromantiam, Metoposcopiam, Neomantiam, Auguria, Auspicia, & similia intelligi declaramus: (d) nefas enim est Christianos talia exercere, cum scriptum sit: (e) *Omnia quæ facitis aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo.*

c] *Greg.* xv *Bul. Omnipotentis. an.* 3. xxvi. *q.* 5. *c. Episcopi;*
d] xxvi. *q.* 5. *c. Non liceat, & cap. Auguriis.*
e] *ad Colossen.* 3.

Mulieres, & alii, qui certis quibusdam herbis, signis, verbis, aliisque id genus medicaminibus Dolores, Morbos, Erizeipilias, & similia sanare posse præseferunt, semel admonitæ si non abstineant, usque eo dum de abstinentia sit certum, (f) a Sacramentali absolutione arceantur.

f] *Ex Syn. Aquil. de Hær.§ Laici.*

Qui autem nefaria temeritate Sacræ Scripturæ verbis, vel sententiis ad contumeliam, & superstitionem abutetur, quique Sacramenta, vel Sacramentalia, aliasque Divinas quomodolibet res in jocum accipere, & impietatem audebit, (g) eos severissimis pœnis juxta Sacrorum Canonum, & Sacrosancti Concilii Tridentini Sanctiones plectendos esse statuimus.

Ut denique tam detestabilis pestis omnino tollatur, teneantur Parochi non solum arguere illos, & frequenter corripere, qui in huius culpæ suspicionem veniunt, verum etiam, cum de ijs cognoverint Sacræ Inquisitioni denuncient, (h) quatenus in similibus artibus abusio Sacramentorum, & Sacramentalium cum suspicione hæresis intersit. Insuper suos Parochianos de eadem denunciationis obligatione certos facere ne ommittant.

g] xxvi. *q.* 2. *c. Qui sine. Ses.* 4 *in Decr de editi., & usu Sacr. lib.*
h] *Greg.* xv *loc. cit.*

§

DE BLASPHEMIA.

Immane adeo, ac omnino detestandum scelus Blasphemia est, ut nusquam Divinarum rerum Scriptores in Sacris Litteris proprio eam nomine appellare audeant. Iam vero, (a) & maximis suppliciis coercendum, & eius materia ad Catholicæ Fidei rubricam pertinere videtur. (b) *Cum enim Fides Animæ redemptio sit, si per opera dilectionis se exerceat,* nil facilius hanc proprietatem destruit, quam scelus illud, per quod odium quodammodo in eam exercetur. (c) Si inimicus suus maledixisset ei, sustinuisset utique; nos vero cum simus genus electum, Membra Christi, Populus acquisitionis (d) quare

a) *Ex Lev.* 24. 16.
b) *D. Hier. in Isa. c.* 18.
c) *Ex psal.* 58: 3.
d) *Ex psal.* 2. 1. 2.

e] *Greg. Naz. Orat. 21.*

f] *C. statuimus De Maledicis.*

g] *Ex Div. Isid. l. 3. epist. 286*

h] *Leo X. Cost 3. Paucis superne. § 33. & Cōstit. 23. In multis Pius V. Cōstit. Cū primum 5 § 10*

i] *ex Syn. Aquil. b. t. § Ideo Et ibi iura allegata*

K] *Dic. c. statuimus in verbo Potesta.*

l] *in Conc. Later. Ses. 9. de Ref. Curie*

m) *Iulius V. Cōnst. in multis 13.*

fremere contra eum? Quare stare adversus Dominum, & adversus Christum eius? Heu! Filij dilectissimi (e) *Damones ad Christi Nomen, si audiant, perhorrescunt, & pavent, nos vero Nomen adeo venerandum contumelia afficere non verebimur?* Quod sane summopere Nobis esset dolendum, si in hac Civitate, & Diœcesi tam immane crimen, pestemque sane capitalem serpere intelligeremus; Ut igitur ab Ecclesia Nostra, & Diœcesi omnino prohibeatur, statuimus.

(*f*) Ut siquis contra Deum, vel Sanctorum aliquem, ac in primis contra Beatam Virginem Linguam in Blasphemiam publice relaxare præsumpserit in hac Civitate, & Temporali Iurisdictione, sciat pro prima, & secunda vice gravi, & severa pena se fore puniendum: pro tertia vero irremissibiliter severiori, atque adeo Triremi ipsa plectendum.

Si quis autem Clericus, (*g*) cujus Lingua Sanctitatis, & gravitatis Delubrum esse debet, tale crimen committere præsumpserit; si Beneficiatus sit, juxta Constitutiones Summorum Pontificum, (*b*) prima vice, cum de eius culpa juridice cognitum fuerit, tunc a Beneficio suspensum esse volumus: quod si perseveraverit, etiam privabimus, & gravissimis pœnis arbitrio Nostro irremissibiliter multabimus. (*i*) Ubi vero non fuerit Beneficiatus, acriter quidem punietur; gravioresque tunc erunt pœnæ infligendę, cum quis sæpius reciderit; neque enim Triremim, verbalemque degradationem effugerit.

Laicos autem, qui extra Nostram Iurisdictionem publicis, & consuetudinariis Blasphemiis Deum irridere præsumpserint, vinculo Reservationis adstringimus; (k) Potestates Sæculares, & Magistratus in Domino rogantes, ut accerrime suppliciis in eos animadvertant, uberrimos inde fructus, ac mercedem a Domino expectantes, præter Indulgentias, quas Leo X (*l*) illis est elargitus.

Parochis autem in virtute Sanctæ Obedientiæ committimus, ut si quos invenerint huiusmodi lue infectos, vel Clericos, vel Laicos, eos denunciare non desinant: qnod respective Vicariis Foraneis indicimus, qui impense de hac re perquirere, Parochosque attente observare debeant. Moneant quoque Parochi quemlibet de Populo (*m*) se teneri, & obligatum esse denunciare sacræ Inquisitioni Hæreticæ Blasphemantes. Illum doceant insuper, quæ revera Blasphemiæ sint, ut earum deformitate facilius deterreantur, neve propter erroneas Conscientias peiora mala nascantur.

Sed quia Amor Dei Amorem Proximi gignere debet: sunt enim inter se cohærentia Dei, & Proximi Charitatis precepta, non bene Divino honori provisum credimus, nisi etiam Proximo provideamus.

Digitized by Google

deamus. Fit hinc, ut qui injurias a Capite pro viribus propulsavimus, & Membra a maledicorum obtrectationibus, & malevolorum contumeliis nunc defendere in hac Civitate cogitemus. Nemo itaque impios Libellos Famosos, quos dicunt, componere, vel Schedas per Plateas, & Trivia disperdere, aut publicis parietibus affigere audeat. Secus qui fecerit, & pravo maligni Spiritus consilio ductus non paruerit, gravissimis non modo pœnis, quarum penes Nos erit arbitrium, punietur, verum (n) & Anathemate ferietur, & a Sanctæ Ecclesiæ Communitate segregabitur. Quam Excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam absque alia declaratione etiam ad dolose Conscios, & Ministros extendimus, nisi Nobis reum revelaverint; eiusque absolutionem Nobis tantummodo reservamus, & nemini concedendam statuimus. Ut vero omnibus Decretum hoc Nostrum innotescat, vernaculo illud sermone inter Missarum solemnia tribus diebus Festivis postquam a Nobis hoc loco perlatum fuerit, in hac Nostra Cathedrali Ecclesia denunciari volumus, & mandamus.

n) V. q. 1. c. *Quidam maligni.* & c. *seq*

§

DE IUDÆIS.

a) ex c. *Etsi Iudæos de Iudæis.*

Priusquam ijs, quæ ad Fidem Catholicam pertinent, finem imponamus, de Iudæis etiam, eorumque cultu, vita, & moribus decernere aliqua necessum duximus: est enim Genus hominum omnino pravum, unde perfidus Fidei nostræ semper extitit hostis, eo magis opprimendum, quo petulantius. (a) Licet equidem Ecclesia pietate ducta, quos in perpetuam servitutem propria culpa redegit, misericorditer ad nostram familiaritatem admittat, *nobis illam retributionem impendunt, quam, ut est in proverbio, Mus in pera, Serpens in gremio, & Ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere.*

Cupientes igitur, ut huiusmodi homines in officio sese contineant, & a Christifidelibus, quantum in Nobis est, ut par est, (b) sejuncti vivant, iterum atque iterum in Domino Iesu Christo Christianos rogamus, & obsecramus, ut in Synagogis, Conviviis, Choreis, Solemnitatibus, & similibus contra Canonicas Sanctiones (c) cum Iudæis non communicent.

(d) Non liceat in hac Civitate & Iurisdictione Iudæis Pueros Christianos circumcidere, munera publica exercere, neque pignora ante decimum octavum mensem auctionari.

Pariter in hac Civitate omnino, atque universim cave-

b) C. *Iud. de Civit.* & c. *Consuluit. de Iudæis*

c) C. *Iudei* & c. *Ad hæc hoc tit.* xxviii. q. 1. c. *Nullus* & c. *seq.*

d) c. *Nulla officia Dist* 54. c. *cum sit* & *seq. de Iud* xvii. q. 4. c. *Constituit.*

mus

mus [e] ne in Parescæve Iudæorum Fores, fenestræque aperiantur; neve eorum Apothecæ diebus, qui apud nos Festi sunt, exerceantur, quod ut cum maxime cautum esse intelligimus per ea tempora, quibus Processiones, Supplicationesque Fidelium, per eorum vias, aut prope eorum domos peragi debebunt. Alibi autem & per Diœcesim omnes in Domino hortamur, & obsecramus ut ne id permittant.

(f) Christianos servientes non habeant Iudei, ne Filii Saræ Liberæ Filiis Ancillæ Agar famulentur; sed tamquam Servi a Domino reprobati, in cuius mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors Liberos, & illos servos effecit. Si vero propter urgentem necessitatem a Nobis toties quoties cognoscendam in hac Civitate Christianis Iudeorum negotiis inservire contigerit, sub pęnis arbitrio nostro tam respectu Iudeorum, quam inservientium committimus, ut diebus Christianorum Festis ab omni servitio omnimodo abstineant.

(g) Neque Nutrices, seu Obstetrices Christianas domi habeant, & nutriant Iudæi sub pęnis arbitrio Nostro statuendis. Si vero aliquando urgeat necessitas per Nos cognoscenda, facultatem Nobis id toties quoties concedendi reservamus, ijs conditionibus, quæ nobis probari debebunt. Quod si Nutrices nostræ huic legi non paruerint, Parochis in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut illas eo usque arceant a Sacramentis, dum obediant: Iudæos autem, si contrafecerint, in hac Civitate arbitrio Nostro mulctabimus.

Teneant Iudæi Librum Rationum vernaculo idiomate conscriptum: diebus Christianorum Festis a quocumque cum eisdem Contractu sub pęna nullitatis se abstineant: eorum menses triginta dierum numero computentur: ad Concionem, si vocentur, intersint: (h) in Hæbreorum signum rubeo Pileo caput operiant; & omnia adimpleant, quæ per Antecessores Nostros (i) statuta sunt.

(k) Nemo invitos, vel nolentes per vim Iudæos ad Fidem Catholicam amplectendam impellat; victimas enim invitas reijcit Ara Christi. Si quis autem ad Christianos caussa Fidei confugerit, postquam de voluntate eius cognitum fuerit, ne impediatur, quo minus Christianus efficiatur: (l) Voluntas autem per plures Menses tentetur, Fideique rudimentis per congruum tempus instruatur: Probati autem, ac bene instructi non nisi Dominico, vel alio solemni die, & de licentia Nostra, nisi aliud infirmitatis, vel necessitatis ratio exigat, baptizentur.

Hæc, quæ de Iudæis statuimus, in hac Urbe & Temporali Iurisdictione tantummodo esse servanda intelligimus.

e] C. In nonnullis, & c. Quia super. de Iudæis.

f] C. Etsi, & c. præsenti, & c. ad hæc de Iudæis.

g) C. ad hęc de Iud. Syn. Aquil. § de Iud. & ibi Iura allegata.

h] C. in nōnullis de Iud.

i) Constit. Cenet. Syn. hoc tit.

k) C. Sicut de Iud. Dist. 4 de Consecra. c. Jud. 93. & cap. Nequod absit. 98.

l] Concil. Agathen. c. 25.

e. Judæi quorum de Cōsecr. Dist. 4.

CAPUT

CAPUT II.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

DEUS Optimus Maximus, qui, (a) *potest dare Legem suam in visceribus, & in corde scribere eam* (b) *aliis ded t per Spiritum sermonem scientiæ, aliis interpretationem sermonum*, ad hoc, ut stimulus nobis Charitatis addatur, ac proinde per nos Deus magis glorificetur. In quo sane mirum in modum apparuit erga nos Dei Providentia, cum (c) *vivum sermonem suum instituit*, (d) misitque Verbum suum, ut sanaret nos. Verbum etenim Dei est cibus Animæ, (e) & sicut Corpus naturali, sic Anima spirituali cibo nutritur: (f) *neque enim in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei*. Quare de Verbi Dei Prædicatione sermonem instituturi, cuius cura penes Nos esset omnino, nisi tam gravibus, tamque multis occupationibus distineremur, eos, quorum Vicaria opera utimur, obsecramus, (g) ut digne ambulent vocatione, qua sunt vocati, *cum omni humilitate, & mansuetudine, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*; recteque æstiment, secumque perpendant, (h) *quam speciosi sint pedes Evangelizantium pacis, Evangelizantium bona*.

In primis igitur ij omnes, qui Verbum Dei in hac Nostra Diœcesi prædicant, Sacram Scripturam alias a sensu, quem Catholica Ecclesia, & Sanctorum Patrum auctoritas comprobavit, interpretari, scandala disseminare in Populum, Hæreses prædicare, sub pœnis (i) a Sacro Concilio Tridentino statutis ne audeant: Caveant insuper, ne ostentandæ Eloquentię caussa, & vanæ sibi laudis comparandæ inanes quæstiones, & otiosas confabulationes conquirant: sed *deponentes mendacium*, (k) *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentatione spiritus, & virtutis*, veritatem loquantur, illud intelligentes, (l) eo majorem Sacris Oratoribus gratiam dari, quo uberiores fructus e Verbo Dei Fideles percipiunt. Quapropter in illud incumbant enixe, ut Spiritus, & corda instruant, & a vanis verbis disperdendis abstineant.

a] *Jer.* 31. 33.
b] *I. Corint.* 12.
c] *Ad Hebr.* 4.
d] *Ex psal.* 106.20.
e] *C. Inter cetera de officio Judicis Ordina.*
f] *Matth.* 4. 4.
g] *ad Eph.* 4.
h] *ad Rom.* 10.
i] *Concil. Trid. Ses.* 5. *de Ref. c.* 2. *C. Excommunicamus § Quia vero de Hæres.*
K] *ad Ephe.* 4.
l] *ex D. Bernardo super Cant. ser.* 16.

Digitized by Google

(*m*) Potentes in opere, & sermone se reddant, & opus Evangelicum iuxta Apostoli consilium adimpleant; contra vitia instent opportune, & importune increpent, obsecrent, & arguant: sed quia infirmis mentibus alta minime enunciari debent, Legem, Prophetas, Evangelium, & Iesum Christum Crucifixum clare predicent ad Auditorum intelligentiam, & captum, moventes potius voluntatem, quam intellectum pascentes, ita ut (*n*) eos existiment homines, *ut ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei*.

In vitijs autem perstringendis ne Principes, Magistratus, Ecclesiæ Prelatos, ceterosque homines directe, vel indirecte nominatim notent, (*o*) & hoc sub pena excommunicationis Sanctissimo reservatæ, & privationis Officij: sed Charitate ducti Populum ita monere studeant, ut vitium fleat, virtutem amplectatur, Deique, & Proximi amore unusquisque incendatur.

Maxime vero caveant Prædicatores, ne quod præceptis, & hortatu ædificant, id moribus destruant, (*p*) ne cum aliis prædicaverint ipsi improbi efficiantur. (*q*) Predicatio cum puritate mentis Deo accepta est, cum impuritate exosa, (*r*) *& superflua est prædicatio, si a corde dissentiat*. (*s*) Videant, igitur, quomodo sedeant super Cathedram, quia non locus sanctificat hominem, sed homo locum: & qui bene sederit super Cathedram, honorem accipiet ab illa, qui male sederit, iniuriam Cathedræ faciet: & in Iudicio sedens, si bene vixerit, & bene docuerit, omnium Iudex erit, si autem bene docuerit, & male vixerit, sui solius condemnator erit.

Diebus item Festis Quadragesimæ, sub pœna privationis Officii volumus, ut Verbi Dei Dispensatores omnes huius Nostræ Diœcesis, præcipue Ruri degentes, & prædicantes, loco ordinariæ Concionis, Pueros doceant Cathechismum, Mysteria Fidei, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, singula denique, quæ in Cathechismo Romano reperiuntur plane, ac dilucide interpretentur. (*t*) Ut eos, qui sub lege erant, lucrifaciant, & lucrifaciant eos qui sine lege erant. Parochi autem teneantur de hoc eos admonere, cum primum ad eorum Ecclesiam ad munus Prædicationis exercendum sese contulerint.

Nemo (*u*) sive Clericus, sive Sacerdos, nisi a Nobis impetraverit facultatem, quocumque prætextu prædicare audeat in Ecclesiis Nostræ Diœcesis sub pœnis arbitrio Nostro infligendis. (*x*) Regulares vero, nisi Superiores de vita, moribus, & scientia eorum cognoverint, ac de eorum licentia, & nisi prius cum di-

m] *Ad Timot.* 4.
n] 1. *Cor.* 4
o] *Leo x. in Conc. Later. 19. xbris.* 1516. *Clemētina* 1. *de Priu. §. Quibus etiā c. sit rector. Dist.* 43.
p] 1. *Cor.* 9.
q] *ex D. Bernar. sup. Cant. ser.* 16.
r] *D. Aug. sup. psal.* 57.
s] *ex Div. Chrysost. ho.* 43. *vide in c. fin. Dist.* 40.
t] 1. *Cor.* 9.
u] *Concil. Trid. Ses.* 5. *de Ref. c.* 2. *& Ses.* 24. *de Ref. c.* 4. *c. Quam sit. de Iudic.*
x] *Dic Cōc Trid. loc. cit. & c.* 20. *§ Regulares. Sac. Cong.* 30 *Ianua.* 1629. *Clē. x. Cōst. Superna* 1670. *§ Regulares.*

Digitized by Google

ctis requisitis coram Nobis se personaliter præsentent, & Nostram petant Benedictionem, in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare nequeant: in alienis vero Ecclesiis etiam licentiam Nostram, quam gratis eis concedemus, habere debeant sub penis a Sacris Constitutionibus statutis. Parochis autem ne permittant, ut aliquis sive Sæcularis, sive Regularis intra suam Parochiam, non impetrata a Nobis facultate Concionetur, sub pena suspensionis interdicimus. *Vide Syn. Aquil. hoc tit. § Regulares.*

Sed quia (y) Parochorum præcipue est diebus Saltem Dominicis, & Festis Solemnioribus Plebem sibi commissam pro sua, & eorum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessum est ad salutem, annunciandoque eis clare, & breviter vitia, quę eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet: ijs enim Populorum cura demandata est, & in ipsis præcipue cadit præceptum (z) *Pasce oves meas*: Nos tantum opus eis memorantes præcipimus stricte, & sub præcepto S. Obedientiæ mandamus, ne illud desinant adimplere, sed inter Missarum Solemnia saltem supradictis diebus Populum sibi commissum instruant, eique rudimenta Fidei, Sacramenta, & Evangelium clare dilucident: de Festis, & Vigiliis infra hebdomadam occurrentibus moneant; post Missam, vel alio aptiore tempore Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Præcepta Decalogi alta, & clara voce cum Populo recitent, memores, quod Pastores sunt, (aa) quorum est vigilare super Gregem ad tria necessaria, nempe ad disciplinam, ad custodiam, & ad preces, teste Bernardo.

y] Cōc. Tr. Ses. 5. de Ref. c. 2. § *Archipresbiteri*. *Conc. Constan. 6. c. 8. Conc. Lateran. ult. Sess. 11. dic. Conc. Tr. Ses. 24. de Ref. c. 4.*

z] *Ioan. 21 18.*

aa] *ex D. Bern. de Sēt.*

Quod si qui præstare neglexerint, (bb) etiamsi a Nostra Iurisdictione quavis ratione exemptos se esse prætendant, ne in eos recidat illud: (cc) *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, Nostra Pastoralis sollicitudo providebit; nam si a Nobis moniti trium Mensium spatio muneri defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu per alias pęnas arbitrio Nostro corripientur, atque adeo si, sic Nobis visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus aliquid deducetur, ut alteri, qui id præstet honesta merces persolvatur, usque eo dum, quod agere debent, diligenter transigant.

bb] *Conc. Trid. loc. cit.*

cc] *Jer. 4.*

Monemus tandem Concionatores, & in Domino hortamur, ut si in iis locis prædicent, ubi Iudæi reperiuntur (dd) ipsos a caligine revocare studeant, ea utentes prudentia, & diligentia, quam res tanti momenti requirit; Gloria enim Dei quærenda est per vias eius, & Iesus Christus Redemptor noster (ee) ad oves, quæ perierunt domus Israel se missum fuisse profitetur.

dd] *Nicol. III. Const. Vineam an. I. Greg. XIII. Const. Sancta Mater an. I.*

ee] *Matth. 15.*

CAPUT III.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

a] ex Extrau. com. l. 3. c. 5. Salvator:
b] ex Mattheo 20.
c] ex D. Augu. psal. 126.
d] ex Conc. Trid. Sess. 5. loc. cit. C. Inter cetera. de Officio Ordina.
e] Prover. 21. 6.

SALVATOR noster, (a) cuius nutui cuncta serviunt, in Agro Mundi huius messem multam aspiciens, & Operariorum raritatem attendens, Dominum messis rogandum esse, ut in illam Operarios mitteret, censuit, idemque etiam (b) *exiens summo mane*, veluti bonus, ac diligens Paterfamilias horis diei variis Operarios in Vineam suam misit. Nos itaque, qui, eodem Domino disponente, (c) Vineæ huius Christi Custodes sumus, ad eius actiones, & exempla, quantum patitur humana fragilitas, mores Nostros, vitamque reformare tenemur. Cumque ob Populi multitudinem minime fieri possit, ut dispersam messem (d) ipsi per Nos ubique colamus, Operarios ad hoc missos in Domino rogamus, ut iuxta Propheticum dictum illius custodiam augere, & summa cum diligentia illam non desinant operari. Est autem præcipua Vineæ Domini elaboratio in hoc sita, ut caveatur, ne spinæ obortæ sementem suffocent, & ut in ea Cælestibus madefacta influxibus crescant innocentiæ, & sanctitatis virgulta, quod sane fit per rectam Puerorum institutionem, qui (e) *juxta viam suam etiam cum senuerint, non recedent ab ea*, & per Populorum sanam instructionem, qui majores in dies virtutis fructus percipient. Quapropter ad incendendos animos ad opus tam necessarium de Doctrinæ Christianæ rudimentis post munera Prædicationis tractare statuimus.

f] Coc. Tr. Sess. 5. de Ref. c. 2. & Sess. 24. de Ref. c. 7.

Parochis igitur, & omnibus illis, quibus Animarum Cura demandata est, in primis injungimus, ut non dedignantes, se parvulos fieri in medio fratrum suorum, diebus Dominicis iuxta consuetudinem statuta hora, & ad sonitum Campanæ ad Ecclesiam vocato Populo, (f) eum rudimenta Fidei, obedientiam erga Deum, & Parentes, & omnia ea, quæ in parvo Libello, ad hoc per Antecessorem Nostrum edito, continentur, doceant juxta vulgarem Cathechismi Romani formam. Quod si adimplere neglexerint, irremissibiliter se puniendos esse sciant: prius enim pena unius Ducati Ve-

neti arbitrio Nostro applicandi toties quoties mulctabuntur: deinde (g) si per tres vices in mense, exceptis Vacationum temporibus, vel iusta per Nos cognoscenda caussa, deficientes reperiantur, in pœnam Suspensionis a Divinis ferendæ sententiæ incident.

Ad hoc autem, ut facilius Populus, & præcipue Pueri convocentur, dato Campanæ signo Crucis Vexillum ab aliquo Clerico, si fieri potest, vel ab alia devota Persona ab Ecclesia elevetur, & per Parochiam circumferatur; Litaniæ interea Beatæ Mariæ Virginis recitentur, & Pueri, aliique excitentur. Quod quidem præcipue in hac Urbe fiet, & in Locis per Diœcesim, ubi domus conjunctæ sunt, minusque dispersæ; nam ibi facilius hoc exequi poterit: quod sub præcepto Sanctæ Obedientiæ Parochi præstare teneantur.

g) *Vide in Synod. Aqu. hoc tit. rescrip. Sac. Cōg Episc. Bergo die 22. Novemb. 1592.*

Cum autem Sacerdotum omnium pars sit monere ceteros, & cunctos ædificare, (h) *tam Fidei scientia, quam operum disciplina*; ideo Sacerdotibus, & Clericis omnibus tam in Civitate, quam in Diœcesi commorantibus stricte præcipimus, ne opus tam meritorium ommittant. Volumus autem, ut in Civitate constituatur ad hoc Præsidens aliquis, qui perquirat diligenter, utrum id omnes Sacerdotes, & Clerici, qui legittime impediti non fuerint, diebus statutis adimpleant, necne: qui vero desunt in libro adnotentur, & singulis mensibus videnda Nobis eorum nomina deferantur. Extra Civitatem autem Parochi stimulo Sanctæ Obedientiæ coacti singulis quoque mensibus, vel per se, vel per litteras, jurejurando firmatas, de iis, qui id negligunt, Nos admonere teneantur. Hinc intelligant Sacerdotes omnes ad Confessiones audiendas, & ad huius Ministerii prorogationem, item ad Beneficia, vel quoscumque gradus aspirantes; Clerici autem ad altiorem Ordinem contendentes, numquam se esse admittendos, nisi prius fidem iurejurando ab eo ad quem id spectaverit, firmatam, *nulla excusatione suffragante*, ad Nos detulerint.

h) *Dist. 38 c. Ignorantia in fine.*

(i) Ludi Magistri, & Scolasteria quomodocumque exercentes sciant, saltem semel in hebdomada se teneri Discipulis Doctrinam Christianam perlegere, & explicare, ipsosque veram sapientiam a qua omnis alia sapientia provenit edocere: quod equidem ut adimpleant, iterum iterumque in Domino Iesu Christo rogamus.

Porro in unaquaque Ecclesia Confraternitatem Doctrinæ studeant Parochi, si id locus patiatur, erigere; Populumque admoneant de Indulgentiis huic rei inservientibus (K) a Summis Pontificibus concessis. Ubi autem non possit errigi, spectatæ pietatis sibi seligant adiutores: Nos autem per Viscera misericordiæ Dei

i) *Leox. Const. superni § 32. Epist. Circul. Clem. xi. 16. Mar. 1703.*

K) *Pius V Const. ex debito 1571. Gregor. xiii. Const. Illius, cui 1572. Paul. V. Const. ex credito 1607.*

Nostri

Nostri omnes enixe monemus, & obsecramus, ut Doctrinam Christianam docentes, (*l*) illuminent eos, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, & dirigant pedes eorum in viam pacis. Parochi autem attente videant, ut recte instructi ij sint, quos sibi ad hoc opus adiutores delegerint: (*m*) curent, si fieri potest, ut in Classes distribuatur instructio ad maiorem docendi, & intelligendi facilitatem; ut Pueri a Viris sejuncti, & Puellæ a mulieribus in reposito loco instruantur. Patres, & Matres, (*n*) ut Filios suos *in disciplina, & correctione Domini erudiant* etiam atque etiam admoneant, (*o*) neminem ad Sacramenta, nisi de præcipuis rudimentis Fidei bene instructus fuerit, admittant; quod præcipue intelligimus de Sacramentis Eucharistiæ, & Matrimonii: omnia denique perficiantur, quæ ab unoquoque præstari debent; secus qui fecerit Deo Optimo Maximo pœnas dabit, cum (p) *omne opus eorum in prædicatione, & Doctrina consistat*, & cum eius præceptum illud sit, (q) *sinite parvulos ad me venire*.

Quod autem ut plenæ executioni mandetur, Vicarij Foranei sub præcepto Sanctæ obedientiæ semel in anno suæ Vicariæ Parochias circumeant, & visitent, videantque, an a Parochis, vel ab aliis, quorum id erit, adimpleatur: cognoscant de ratione docendi, interrogent Magistros, de Puerorum progressu recte æstiment, Nosque per se, vel, si legitime impediti fuerint, per litteras juramento firmatas certiores de rebus singulis ad hoc spectantibus faciant, ut incommodis omnibus, quantum in Nobis est, providere possimus.

l] *ex Cant. Zach.* 12.

m] *Epist. Circul. sup. dic. ad § Dovrà &c.*

n] *ad Eph.* 6.

o] *ex propos. damn. ab Inno.* xi. *n.* 64

p] *Concil. Tolet.* 4 *Can.* 24.

q] *Matth.* 19.

CAPUT

CAPUT IV.

DE DIEBUS FESTIS, Vigilijs, & Jejunio.

DEUM Religionis ritu colendum esse, vel ij olim intellexerunt, qui unis Naturæ legibus parebant: atque adeo ipsa superstitiosa non minus, quam impia Gentilium Idololatria Sanctum esse voluit, & cautum (a) ut suspenso vomere humus æque & Aratores requiescerent. Quanto igitur impensius nos, qui Divino Evangelicoque lumine illustrati interiore, atque exteriore cultu Deum Optimum Maximum veneramur, tam sublimi præcepto parere debemus? Et sane iam inde a Sæculorum initio Summus rerum Opifex Deus (b) ab opere Creationis requiescens, qui sit habendus diei septimo Cultus suo exemplo demonstravit, ac deinceps Optimus Magister Christus, qui non venit (c) *Legem solvere; sed adimplere*, in plenitudine temporum ut dies perfectionis, & quietis celebraretur præcepit: Cum enim per totam hebdomadam res humanas transigamus, æquum omnino est, ut rebus Divinis die Festo vacantes ab omni alio negotio abstineamus.

Fit hinc, ut universis in hac Nostra Diœcesi commorantibus, (d) omnes dies Dominicos, & omnes illos, qui ex præcepto Ecclesiæ (e) Christifidelibus proponuntur, sub lethali culpa cum veneratione ut colant, decernamus. Iam vero de re hac singulis Dominicis diebus, inter Missarum solemnia, volumus Parochos Populum admonere, ne ignorantiæ excusatione illos audeant contaminare. (f) Festa totius Anni mobilia in die Epiphaniæ iuxta formulam Pontificalis Romani publicentur.

In Urbe insuper Festum Sancti Titiani Diœcesis Patroni (g) illis adsciscimus: porro in posterum Divi etiam Magnus, & Florianus, ex Communi Cleri voto, & Populi voluntate, ut Compatroni habeantur, eorumque dies Festus a Clero cum Officio duplici ex voto celebretur, servatis tamen servandis. Idem Esto de diebus Sanctorum Rocchi, Fabiani, & Sebastiani Martyrum, necnon Sancti Christophori, qui tamquam Protectores huius Diœcesis, iisdem obligationibus, quas non ita multo ante diximus, habean-

a] ex Tibul. Eleg: 11.

b] Exodi 10. 23. 30.

c] Matth. 17.

d] c. omnes de Feriis.

e] ex Constit. Urb. VIII Universa.

f) Pontif. Rom. par. 3. In principio.

g) Speciale Decretū Sac. Congr. Rit. 25. Februa. 1606. Eadem 13. Sept. 1642.

habeantur: tametsi ad Populum quod attinet, rem hanc penes eius arbitrium relinquimus.

Et quia occasione Visitationis in pluribus Diœcesis locis plures apud Nos conquesti sunt multas introductas esse Festivitates, quæ rigorose observantur, fierique hinc, ut Villici, eorumque Operæ nequeant in Agris laborare; id Nobiscum reputantes numerum hunc Festorum Diaboli potius negotio, quam Dei, Sanctorumque eius honori servire, cum dessidiosis, otiosisque insidietur facilius, quam laborantibus (*h*) ne forte Deus oderit Festivitates illorum, & non capiat odorem Cœtum eorum, decernimus, & declaramus, (*i*) nullam omnimodo quamcumque Festivitatem, sive ex Devotione, sive ex Consuetudine, sive ex asserto voto, nisi ex nutu Nostro, vel Antecessorum Nostrorum fuerit instituta, & ab earum observatione Populos omnes omnimode dispensamus, & liberamus. Si vero Viciniæ, & Communitates aliquod Festum ex devotione celebrare intendant, & ab Agrorum cultu, laboribusque servilibus vacare, intra tres menses ad Nos accedant, ut caussis attente æstimatis, adiunctisque omnibus consideratis, si magis expedire videbitur, (K) prout necessitas urgebit, vel pietas suadebit, illud, in quantum ad Nos attinet, confirmemus. De hoc autem teneantur Parochi Populum statim admonere.

Iam vero rationem celebrandorum Festorum, ut par est, Populo ostendant Parochi, (*l*) quæque sit vis legis de Festis servandis demonstrent. Ideoque in primis, ut ab omni servili opere sese abstineant, vitent: quod quidem sic intelligi volumus, (*m*) ut urgente necessitate possint Fideles etiam talibus diebus dare operam rebus ad vitam necessariis, ac tempore perituris, præsertim tempore messium, dummodo Sacro intersint, Nosque, vel Vicarium Nostrum Generalem, aut saltem Parochum prius consulant: Deinde Divinis actionibus, ac Sanctis rerum Officiis, & præcipue Sanctissimo Missæ Sacrificio ne desinant interesse: (*n*) illud etenim poscit necessitas celebrandi diem Festum, iuxta Divinum Præceptum, hoc & sanctificandi, iuxta Ecclesiasticas Constitutiones.

Quare (*o*) a Commessationibus, & Ebrietatibus, quibus diebus maxime Festis Populi vacare solent, omnino abstineant; ne Choreis, Baccanalibus, & Crapulis Sanctorum Festa polluantur: qua de re, in quantum possumus, & in visceribus Christi monemus Parochos, & obsecramus, ut Populum inde avertere Spiritu, & sanguine studeant. Proh pudor! (p) *Diebus ad exercenda opera servilia concessis unusquisque suo intentus est operi, & abstinet a cra-*

h) *Amos.* 5. 21:

i) *ex Syn. Aq. hoc tit. § Quia vero.*

K] *Conquestus de Fer.*

l] Côc. Tri. Sess. ult. de diebus Fest. dic. c. de Fer.

m] *Cath. Rom. de Fest. observ. n. 24. D. Thom. in 2. 2. q. 1. 32. art. 1. c. Licet. de Fer.*

n] *ex Cath Rom. loc. cit. n. 11.*

o) C. Cômessati. Dist. 44. c. Irreligiosa Dist. 5. de Consecr.

p] *ex Div. Cyrill. l. 8. in* [illegible] *c. 5.*

a crapula, ludis, & vanitatibus: Festis autem diebus passim concurritur ad cauponas, & ludos, ad spectacula, & choreas in irrisionem Divini Nominis, & Dei praevaricationem. Quapropter (q) *Viae Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem*, atque interim lætantur Dęmones, (r) qui, dum in Silo solemnitas Dei est, rapiunt sibi iuxta numerum suum de Animabus, quæ Choris interesse debebant, Uxores singulas.

q) *Ier.1.4.*
r) *ex l. Iudic.21. 19.*

Quam pestem, quantum in Nobis est, tollere, & a Nostra Diecesi avertere cum desideremus, monemus in Domino, & exhortamur, ut (s) Officinæ omnes [exceptis iis, quæ ad Ægrotorum curam, & ad victum quotidianum spectant, dummodo tamen dissimili a diebus ferialibus forma fiat, & ianua tantum aperta, in solemnitatibus autem Natalis, & Paschatis Domini claudantur] diebus Festis obserentur. (t) In Urbe autem, & Iurisdictione Nostra quodcumque aliud mercium genus nequis audeat diebus Festis vendere sub gravissimis pęnis omnino prohibemus.

s) *c.1.& c. Licet. de Fer*

t] *Constit. Syn.Ceneten. hoc tit.nu.4. editæ anno 1695.*

Vetent prœterea Parochi, impediantque, quo ad eos fieri poterit, ne quis in Templorum vestibulis, aut Cæmeteriis aliquid divendat. Efficiant, quod in illis erit, ut diebus Festis in Religionis cultu, orationibus, sanctisque operibus Populus ut cum maxime versetur. (u) Encęnia, seu Ecclesiæ Dedicationes, advocato Populo, quotannis celebrent, & omnia exequantur, quæ Populis sibi commissis ad rectam Festorum observationem possint inservire.

u) *c.Solemnitates d st.1 de Consec. c. sexto die dist. 35.*

Sciant tandem Parochi, Archipresbyteri, Plebani, Rectores, Curati, omnesque alii in hac Nostra Diœcesi Curam Animarum habentes, nemine excepto, ex Antecessorum Nostrorum laudabili consuetudine in die Sancti Titiani, seu in eius translatione ad hanc Nostram Cathedralem Ecclesiam accedere, ibique Pontificalibus Nostris, Processioni, aliisque rebus de more interesse debere: id vero ne negligant, sciant, se pęna suspensionis a celebratione Missæ ad ipsum Mensem mulctandos, nisi ob gravem caussam excusentur: quam nisi infra Mensem Nobis probaverint, ipso facto, & absque alia declaratione dictam pęnam incurrent.

§

DE VIGILIIS, & JEIUNIO.

(a) ANIMARUM Festum, pene dixerim, Iejunium est : per illud enim (b) non solum patrata peccata expiantur, sed ea etiam, quæ committi possunt, facile arcentur: opprimitur præterea Diabolus, (c) qui nobis jeiunantibus esurit, quique nostris semper saturatur ex culpis, & per illud vitiorum sentinam exsiccamus, concupiscentiæ languent, voluptatum illecebras evitamus, Divinamque opem, ut multis in Scripturæ locis (d) videre est, facilius impetramus.

Hinc Nos Divino illi monito, (e) *Sanctificate iejunium* ad nostram utilitatem a Deo institutum, & ab Ecclesia sub Lethali culpa firmatum, parentes, ut Iejunia nostra Religiosis sanctificentur obsequiis præcipimus, & mandamus. Quod quidem, iuxta Canonicas Sanctiones, (f) hęc tria continet: Nempe *Abstinentiam ab esu carnium, ovorum, & lactis*, ubi id ab Ecclesia non permittatur: (g) *unicam meridianis horis comestionem*; tametsi pia Mater Ecclesia Corporis necessitati exiguo de nocte ientaculo, a cuiuslibet propria conscientia statuendo nos succurrere patitur: (h) *observantiam demum horarum, quę ad prandium sunt constitutæ*: neque enim licet, nisi aliud necessitas postulet, ante meridiem accumbere, & manducare.

Præcipimus igitur Parochis, ne desinant suos Populos de rebus hisce admonere, nempe de necessitate iejunii, de ratione rite, recteque iejunandi, nisi iustæ caussæ eos excusent, de quibus cognoscere prudentis, cautique Pastoris erit. (i) Singulis quoque Dominicis de recurrentibus infra hebdomadam Vigiliis illos admoneant; impellantque Populum ad innocentia opera, (K) & ad internam a concupiscentiis abstinentiam per externum iejunium affectandam. (l) *Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa iejunij: aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.* Siquidem

a] ex Div. Chris. de Ieiu. Iac. & Abr.
b] ex Div. Bern. de Quadrag. ser. 4.
c] ex Div. Hier. ad Demetr.
d] Exo. 34 28. Iob. 12. 8. & 3. 24. Judit. 4. 12 Daniel. 10. 12.
e] Joel. 1. 14. Cā. 68. Apost & text. in c. Quadragesima de consec dist. 5. cū seq.
f) c. Denique dist. 4. c. Par autē est. ibi c. Jeiunia de consec. dist 5.
g) Anacl. de ieiunio. q. 1. n. 8. & omnes Can. & Mor.
h) c. Solēt. de consec. dist 5.
i Conc. Tr. Ses. ult. c. de ieiunio.
c. Pronunciandum.

nidem (*m*) per abſtinentiam non caro, ſed carnis vitia extinguenda ſunt; ut qui a Paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc in quantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgimus.

Tametſi a ſolemniore illo jejunio, quod per Qadrageſimam præſcripſit Eccleſia, (*n*) utpote pia Mater, infirmos diſpenſat, eſumque carnium permittit; indicimus tamen omnibus, & committimus, ne audeant tali tempore vetitis veſci cibis, niſi prius prudens annuerit Medicus, qui jureiurando de eiuſmodi neceſſitate teſtimonium proferre debebit, quod a Nobis deinceps, vel a Vicario Noſtro Generali, ſi fieri poterit, ſin minus a Parochis erit confirmandum.

Cavemus inſuper, ne tempore Quadrageſimę in hac Civitate & Temporali Iuriſdictione Laniorum Tabernæ pateant, neque aliquid ex vetitis cibis ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis vendere audeant; Cauponibus vero, ceteriſque id genus hominibus nequidquam hoſpitibus ex vetitis apponant, niſi prius legitimam diſpenſationem a Superioribus habitam recognoverint, ſub iiſdem pęnis prohibemus.

de conſec. diſt 3.

K] *c. Jeiunii. de conſec. diſt. 5.*

l) *d. Leo P. ſerm. 4. de Quadrag.*

m] *ex D. Greg. in Ho. & 20. Moral*

n] *c. Conſilium. de Celebrat. § Præterea.*

Digitized by Google

788

CAPUT V.

DE SACRIS RELIQUIIS,

& de

Sacris Imaginibus.

a] *ex cap. Gloriosus unic. de Rel. & ven.Sanc.*

b] *ex Deut. 33. a.*

c] *Dist. 89. c.ad hoc. in 6.*

(a) GLORIOSUS Deus in Sanctis suis, & Majestate mirabilis, qui ineffabilis prudentiæ altitudine Cœlestia pariter, & terrena disponit, etsi suos ministros omnes ad summos honores evehat, & Cœlestis efficiat Beatitudinis possessores, illos tamen præterea (*b*) in manu tenet, & potioribus attollit insigniis dignitatum, præmiorumque uberiore retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. (*c*) Sic & Alma Mater Ecclesia ejus sacra vestigia persequens, quos Deus in Cœlo gloriosis Apostolorum, Virginum, Martirumque Choris adsciscit, maximis honorare præconijs, laudibusque extollere nullo unquam tempore destitit: cum justum intelligat, ut ab ea tanto propensius se sentiant honorari, quanto ipsam excellentius præclare gestis illustrarunt.

d] *Concil. Nic.2. Act. 3.4. & 6. Conc.Tr. Sess. 25.de Invoc. & ven.Reli. Sanct. Greg.xiii. Sanctissimus*

Nos itaque (*d*) Sanctissimis Conciliorum Sanctionibus moti, & Pontificum auctoritate excitati, Divorum, Divarumque reliquias, ut omnes justa, qua par est, veneratione prosequantur, præcipimus, & mandamus. Hic vero cultus, & honos, quem semper illis sancta Mater Ecclesia detulit, *Dulia* dicitur: *veneratio nempe propter supernaturalem excellentiam Sanctitatis eorum, atque adeo & gloriæ, qua in Cœlo fruuntur*. Quod quidem Sancta Tridentina Synodus explicat dicendo: (*e*) *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva membra Christi*

e] *loc.cit.*

fue-

Digitized by Google

fuerunt, & Templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur, a Fidelibus veneranda sunt.

Ne vero Fortasse immeritis hæc veneratio præstetur, diligenter, ac impense cavemus, (*f*) ne quis publicæ venerationi Reliquias, Ossa, Corpora, aut quorumcunque Sanctorum partes recens inventas audeat exponere, nisi prius de earum approbatione per Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem cognitum fuerit: de ijs autem, quæ in Ecclesiis ex antiquo jam reperiuntur, decernimus, ut illæ tantum, quas occasione Nostræ Visitationis, vel postea approbavimus, exponantur.

Quas vero Nos recognovimus, & ab Ecclesia judicavimus approbatas, si Reliquiæ insignes sint, (*g*) scilicet Corpus, Brachium, Crus, vel ea pars, in qua Sanctus Martyrium pertulit, in aliqua nobiliori Ecclesiæ parte volumus ut asserventur: Locus, in quo sitæ sunt, decenter ornetur, Lampade, si fieri potest, ante ipsas semper accensa, nomen singulis ascribatur, loculusque ipse, ubi asservantur, foris signetur, ut Populus ibi eas positas esse intelligat: minutiores autem in Vasis decentibus vitro seposito, cui etiam Nomen inscriptum sit, custodiantur. (*h*) Venales vero Reliquiæ, quibus Christianæ Religioni detrahitur, omnino ne exponantur.

Quoniam vero Populorum veneratio sæpenumero assiduitate vilescit, admodum raro proferantur Reliquiæ: quod si fieri contigerit, frequentior curetur concursus Populi: (*i*) Lumina accendantur, Superpelliceo, & Stola induatur Sacerdos, (K) neque ullam ad colligendas eleemosynas capsulam quis exponat; quod quidem per vinculum Sanctæ Obedientiæ Parochi exequantur. Porro, cum efferuntur, solemniter, ut maxime poterit, id fiat; nunquam tamen cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, cui omnis gloria, & honor debetur, circumferantur.

(*l*) Omnis porro superstitio in Reliquiarum veneratione tollatur, ideoque Parochi sedulo curent, ne Populi vanis illusionibus aciem animi, mentisque perstricti in hoc pessimum malum labantur. Reliquias attente custodiant, ne a Demonis Sectatoribus ad sacrilegas artes ab Ecclesiis surripiantur; (*m*) quod quidem, Excommunicationis intenta pœna, omnibus interdicimus, & prohibemus. [*n*] Nihil tandem lucri ex illarum venditione, traditione, aut locatione quivis sibi colligendum esse sub anathematis pena præsumat.

f] *c. 2. de Rel. & ven. Sanct. C. Audivimus. ibi in fine. Sistus v. Const. 88. Dominus an. 1588.*

g] *Sac. Cög. Rit. 33. Novemb. 1622. & 8. April. 1628.*

h] *Cum ex eo de Reliq.*

i] *Sac. Cög. Rit. 10. Ian. 2701.*

K] *Con. Tr. loc. cit.*

l] *Conc. Tr. loc. cit.*

m] xvii. *q. 4. c. Quisquis § Siquis.*

n] *c. de Reliq. & vene. Sanct.*

o] *Sac. Cōg Epist. 10. Iu. 1588.* (o) Ad altare, in quo Lignum Sanctissimæ Crucis asservatur, cuius Mysterium maxime fulget, dummodo approbata, & cognita Reliquia sit, lampas assidue perluceat, (p) *Crux enim Christi Candelabrum est*, & omni cultu dignissima.

p] *D. Aug. in Orat. de quinque Hæres.*

§

a] *Vide Histo. Iconocla. P. Maiburg.*

DE SACRIS IMAGINIBUS.

(a) IMAGINUM cultum, atque adeo Imagines ipsas, in quibus Christi, Divorumque res gestas Ecclesia recolit, semel, & iterum Dæmonis fraude impij quidam, perditique homines impulsi omnino tollere conati sunt: quod hominum improbitas minime est consecuta; licet enim res Sanctissima in discrimen sæpius adducta fuerit, nunquam tamen, per Deum Immortalem, potuit labefactari. (b) Porro honos, qui Sacris Imaginibus defertur, non eo animo tribuitur, quod aliquam Divinam Virtutem in iis esse credamus, sed Christum, Deiparam, Sanctosque reliquos, quorum aliquam speciem, & similitudinem gerunt, in ijs venerari intelligamus. Fit hinc, ut eas deosculemur, caput aperiamus, procumbamus identidem, & adoremus: quod cum ceterorum Conciliorum Sanctionibus, tum vero in primis (c) Secundæ Nicenæ Synodi Decretis contra Imaginum Oppugnatores constitutum accepimus.

b] *ex Cōc. Trid. Ses. 25. de Invoc. & vener. Reli. Sanct.*

c] *Concil. Nic. 2. act. 3. 4. & 6.*

d] *dic. Con. Nic. act. 3. c. Apostolicas.*

Quare Nos Apostolicas Ecclesiæ Traditiones, & eorumdem Conciliorum decreta, quibus Veneratio, cultusque Sanctorum docetur, amplectentes, & venerantes (d) eos anathematis pœna puniendos esse sancimus, qui Imagines Dei Iesu Christi Domini Nostri, Deiparæ Virginis, Sanctorumque omnium damnare, & reprobare præsumpserint: volentes ut eo modo, quem demonstravimus, non ita multo ante, ubique in hac Nostra Diœcesi, ijs, ut par est, iustus debitusque honos deferatur.

e) *Conc. Tr. loc. cit. §. Hæc ut Fidelibus.*

Quæ lex ut acrius retineatur, (e) nemini uspiam liceat in Ecclesiis quibuscumque, iuxta Sacri Concilii Tridentini statuta, aliquam ponere, vel ponendam curare Imaginem venerandam, quæ a Nobis prius approbata non fuerit: cumque (f) *deceat domum Domini sanctitudo*, Picturæ omnes, & Imagines, quæ ad legitimas Historiarum traditiones non conformentur, quæque minus honestam figuram præseferant, vel profani aliquid repræsentent, quæ

f] *Psal. 92.*

anima-

animalia, vel alias sæculi illecebras demonstrent, ab Ecclesiis omnino tollantur. Quas autem vetustas ita consumpserit, ut eas commutare necesse sit, in profanos usus ne convertantur, sed in Sacrario ponantur, vel, si fieri potest, comburantur, & cineres in Cæmeterio sepeliantur.

Ne quis vero fortasse nimis rudis, & simplex in Idololatriam inducatur, Imagines omnes Ecclesiis affixæ, & positæ eiusdem naturæ, & formæ sint; neque ulla ab alia luminibus, vel ornamentis distinguatur: omnes enim ad Deum, & ad Sanctos, quos repræsentant, se referunt, & per omnes eodem modo prototypa veneramur. (g) In pavimentis autem, & sordidis, spurcisque locis etiam extra Ecclesiam Imagines Sacræ nullo modo pingantur.

(h) Novis miraculis, (i) quæ perraro nunc fiunt, cum nulla per hæc tempora necessitas impendere videatur, nisi prius de ijs Nos cognoverimus, nulla ratione fides habeatur: Parochis vero, ceterisque omnibus etiam Regularibus in hac Nostra Diæcesi commorantibus de iis prædicare, ac in medium proferre, sub penis arbitrio Nostro infligendis, omnino ne liceat. Fit equidem sæpe numero, ut per pietatis speciem teterrima Hypocritarum pestis, (K) *quæ semper præparat dolos*, & Avaritia, (l) *omnium malorum fons, & omnium Ordinum perturbatrix* serpere incipiant, lateque grassari, & Populorum captis, deceptisque animis efficere soleant, ut quæ Deo vero debentur obsequia, Dæmoni malorum, ac perditorum Principi tribuantur.

g) *Sac.Cõg. Rit.22.Maii 1596.*

h, *Conc.Tr. loc.cit.in fine.*

i) *ex Div. Chris. super Matth.hom. 20.*

K) *D.Greg 12. Moral.*

l) *D.Chris. sup.act.Apo. homil. 26.*

CAPUT

CAPUT VI.

DE INDULGENTIIS,

a] *ex Extravag.com. de Pœnit.& remis. c. 2.*
b] *Hebr. 9 l. c*

QUÆ Adæ culpa Nobis libertas erepta, ea nobis per Iesum Christum restituta est: ubi (*a*) enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum sub lege natum ex Muliere, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem reciperent filiorum: ipse porro (b) *non per hircorum sanguinem, aut vitulorum, sed per proprium introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa*. Qui quidem satisfactione peracta, ne supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, ad Gloriam rediens innumeros nobis Filiis thesauros pius Pater reliquit, quibus qui utuntur, Dei amicitiæ participes efficiuntur. (*c*) Quos equidem thesauros non in agro absconditos, sed per Beatum Petrum Celi Clavigerum, & per eius legitimos successores ijs verbis. (*d*) *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, Fidelibus salubriter dispensandos commisit: nobis itaque per Indulgentias dispensantur, (*e*) quando per singulorum meritorum Christi applicationem pęnæ pro peccatis Deo debitę auctoritate Pontificum condonantur.

c] *ex Matth. 13.*
d] *ex Matth. 16.*
e] *ex cap. Quod autem de pœnit. & remis. C. Indulgētia hoc tit. in 6.*
f] *Conc. Tr. Ses. 25. c. de Indulgentiis.*
g] *c. Siquis omnem 1. q. 7 Pius v. Const & si Domini. 1577.*

Quas Indulgentias (*f*) Christiano Populo maxime salutares, quibus iam inde a primis temporibus usa fuit Ecclesia, omnino approbatas in hac Nostra Diœcesi, & sub Anathematis pæna receptas esse volumus. Quapropter Parochis præcipimus, ut Populos de earum fructu, & de Ecclesiæ potestate, quæ illas distribuit, certiores reddant, & doceant: illos insuper admonemus, (*g*) ut diligenter omnia præstent, quæ a Summis Pontificibus de Indulgentiis acquirendis præscribuntur, & de peccatorum detestatione, & remotione, in qua præcipue vis omnis & effectus Indulgentiarum continetur, cum Populis verba faciant.

h] *Conc. Tr. loc cit. Sabunsus.*

Ne vero prava aliqua consuetudo inducatur; [*h*] quicunque quæstus pro consequendis indulgentiis omnino tollatur: præcipimus itaque Parochis, & quibuscumque eas promulgantibus, sub pęna su-

Digitized by Google

na suspensionis ipso facto incurrendæ, ne quomodocunque eleemosynas colligant, vel Capsulas ad colligendas ponant, nisi de eleemosynis in Litteris Apostolicis expressa mentio fiat.

Porro quas eleemosynas in Indulgentiis hac conditione prolatis Parochi congesserint, nullo modo ipsi audeant arbitratu suo alio deducere, vel distribuere, nisi prius illas ad Nos detulerint, aut consuluerint: quod quidem sub pænis arbitrio Nostro, infligendis, & sub præcepto Sanctæ obedientiæ eis præcipimus, & mandamus.

(*i*) Indulgentias quascumque publicare: vel earum Litteras exponere nemo, cujuscumque conditionis sit, in hac Nostra Diæcesi audeat, sub pæna suspensionis ipso facto incurrendæ, aliisque a Sacris Canonibus institutis, nisi antea a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali de illis cognitum fuerit, juxta mentem (*K*) Antecessoris Nostri.

Moneant tandem Parochi Populum, illique demonstrent, eleemosynas (*l*) erogare ad essentiam Indulgentiarum minime pertinere, quas, nullis etiam erogatis eleemosynis, dummodo reliqua; quæ in Bulla continentur, perficiantur, consequi possumus: Et ne ex ignorantia, superstitione, aut malitia corruptelæ oriantur in Indulgentiis, caveant Parochi, ne eorum subditi ab hominibus huc, & huc vagantibus fallantur: reperiuntur enim Pseudoprophetæ, qui nugacibus verbis sibi, suæque avaritiæ serviunt, quibus ne ullam fidem præstent, & ab eis divulgatas Indulgentias, utpote passim suppositas, omnino reiiciant. (m) *Huiuscemodi enim Christo Domino Nostro non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones seducunt corda innocentium.*

i] *Conc. Tr. Sess. 21. c. 9. Clementina 5. de Pœnit. & remis. c. 2 abusionibus. Syn. Aquil. hoc tit. § publicare*

K] *Syn. Cæ. edit. an. 1695 hoc tit. n. 5.*

l] *Ex Conc. Trid. loc. cit. in fin.*

m] *ad Ro. c. 16. v. 18.*

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE REPRÆSENTATIONIBUS.

IN more institutoque Ecclesiæ positum est, ut Populus Christi Domini Passionem, Sanctorumque gesta, ac Martyrum certamina repræsentet; (a) quæ omnia, nisi pie, ut par est, summaque cum veneratione a nobis fiant, facile offendimus, & risus excitamus: ubi enim vel Sacra profanis commiscentur, vel Scænarum vanis fictionibus contexuntur, aut corruit pietas, aut virtutes, bonique mores, pro quibus institutæ sunt, labefactantur.

a] *Ex Conc. Prov. Med. c. de action. & repræs. Scæn.* § 1.

Quare Nos Dei Gloriæ, & Sanctorum honori providere desiderantes, Scænicas omnes huiusmodi Repræsentationes in Ecclesiis fieri prohibemus. Quod si aliquando eas contigerit edere, Nobis, qui prius res conscriptas videre, & modum, locumque, ubi repræsentari debent, attente considerare volumus, toties quoties dandam facultatem reservamus.

b] *Concil. Prov. Med. de Proces. §. neve actiones.*

(b) Quas neque in Processionibus, aut earum occasione, neque quarumcumque solemnitatum caussa permissas volumus: Parochisque de jure Sanctæ obedientiæ præcipimus, ut nulla ratione eas fieri patiantur; & præcipue per Quadragesimam ab hac Civitate omnino eas tollere, & impedire conentur.

c] *ad Philip. c.* 9.

Concionatoribus vero Sanctæ Crucis Vexillum, in quo Christus Noster (c) *factus est obediens usque ad mortem*, qui deferunt, & ea, quæ sunt uberioris fructus, ut lacrymas excitent, & pietatem, die Parasceves non prohibemus: quod equidem graviter, docte, prudenter, & matutinis horis, post ortum solis exequatur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTIS

in Genere.

a) *ex Cat. Rom. de Sacram. in gen. n.* 1.

b) *ex Prov.* 9.

DE Sacramentis Sermonem cum instituimus, in ea re Nos versari intelligimus, quæ in hac Nostra Synodo Principem locum obtinet, & in qua (*a*) omnem industriam, laboremque nostrum situm esse oportere existimamus. Hęc enim (*b*) septem illæ Columnæ sunt, quas Divina sapientia de Cęlo descendens, & formam humanam accipiens excidit, & super eas sibi domum ædificavit, quas Nobis in Primis tuendas commisit, & sustentandas. Porro eiusmodi vis est, atque excellentia Sacramentorum, ut (*c*) per ea *omnis vera Iustitia vel incipiat, vel cæpta augeatur, vel reparetur amissa*. Nos itaque, qui ea a Christo Domino accepimus, utpote Salutis exordium, per quæ unice Gratia illa confertur, quam nobis in Ara Crucis Christus promeruit, ita de hac materia, quam instituimus, solliciti esse debemus, (*d*) ut narrare nos Justitiam Domini, & sumere per os nostrum testamentum eius existimemus: ne in nos illud sapientiæ recidat: (*e*) *Erraverunt, & nescierunt Sacramenta Dei*.

c) *Concil. Trid. S. ſ. 7. in proem. decr. de Sacram.*

d) *ex Isai.* 12. 11.

e) *Sapien.* 2 12.

Omnibus igitur, & singulis in hac Nostra Diæcesi degentibus (*f*) sub anathematis pœna Sacramenta novæ legis omnia fuisse a Iesu Christo Domino Nostro instituta, neque esse plura, vel pauciora, quam septem, credere, & confiteri pręcipimus. Mandamus insuper sub eadem pæna, ut ab omnibus fideliter, firmiterque recipiantur omnia ea, quæ de Sacramentis a Sancta Catholica Ecclesia, & præcipue a Sacra Tridentina Synodo tradita sunt.

f) *Conc. Tr. Sess. 7. can.* 1. & 2.

Hinc monemus omnes sive Parochos, sive quomodolibet Sacramentorum Ministros, ut sancta sancte tractent; quamvis enim (*g*) *qui plantat non sit aliquid*; *neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; unde fit, (*h*) ut etiam per immundos canales ad Spiritum transeant, nec coinquinentur; impure tamen ea ministrantes æterna morte afficiuntur: quare tam Sacra Mysteria ore

g) *I. Corint.*

h) *ex c. si iustus.* I. q. 1. *Concil. Trid. loc. cit. can.* 12.

 polluto

Digitized by Google

polluto conficere, aut in fœdas sumere manus omnino ne audeant; sed semetipsos probantes, conscientia pura, & mundo corde semper ad ea ministranda accedant. Ubi autem conscij fuerint lethalis culpæ, confessione sacramentali, aut saltem, si id minus fieri poterit, contritionis actibus solicite studeant illam expiare.

Cum autem Simoniaca pestis, quæ identidem serpit, eiusmodi sit, ut nullus (*i*) ea exitior morbus reperiatur; Fit enim, ut etiam servis Dominos accusare, atque adeo criminosis, perditisque hominibus liceat: (k) Caveant ideo Ministri, & dispensatores Dei, ne se se tam immani crimine obstringant, ut quicquam pro Sacramentorum administratione exigant, aut verbis, vel signis directe petant, vel indirecte: detestanda quippe nimis est Spiritus Sancti venditio; qui tantum scelus committere audebit, eum pœnis Jure (*l*) Statutis aliisque severissimis arbitrio Nostro mulctabimus.

Et quia non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine ulla Avaritiæ suspicione Sacramenta Ecclesiæ sunt ministranda, licet permittant Canones a Fidelibus sponte oblatas eleemosynas accipere, cavemus tamen sub pœnis arbitrio Nostro infligendis, ne Parochi in actu administrationis oblata quoquo modo accipiant: plura enim, Diæcesim hanc Nostram cum perlustravimus, inde incommoda exoriri intelleximus.

Ut vero (*m*) non modo pure, & sancte, verum etiam iusto ritu pertractentur, diligenter prius discant Ministri Dei cæremonias; & quæcumque pro recta, & valida administratione (*n*) a Rituali Romano proposita. Vestem Talarem, præsertim in Ecclesiis, semper adhibeant, Stolaque, & superpelliceo induantur; clare, & distincte verba proferant; materias aptas considerent; Orationes, & preces illis annexas devote, & pie recitent, neque ullo unquam tempore (*o*) receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus ullo modo omittant.

Ubi Cura Animarum bipartita est, & præsertim hac Civitate, licet hebdomadæ sint inter plures divisæ, qui ad aliquod Sacramentum ministrandum fuerit vocatus, sive sit Hebdomadarius, sive non, munus ne deserat suum, ac in primis nocturno tempore Infirmis sit præsto: secus si fecerit, præceptum obedientiæ violabit, pœnisque ad arbitrium Nostrum mulctabitur. Omnes enim Curam habentes semper ad id adstricti esse censentur, quippe ipsi electi sunt, (*p*) ut plantent, & ædificent; Animæque Sanguine Christi redemptæ penes eos omnes sunt, quarum damna eorum incuriæ omnino videntur esse tribuenda: dispensatio enim Cœlestis seminis ipsis pro indiviso credita est: (q) *Væ si non sparserint*.

i] *c. ex sicut & c. tanta. de Simonia.*

K] *c. cum in Ecclesia. c. ad Apostolicam. & seq. de Simonia. c. Salvator, & c. non solũ & c. vendentes.* l. *q.* 3.

l) *c. cum accusatum. & c. seq. ibi. c. patet* l. *q.* 7

m) *c. secundum* vii. *q.* 1.

n) *ex Ritu. Rom. de ijs, quæ in Sacr. adminis. serv sunt.*

o) *Conc. Tr. loc. cit. c.* 13. *c. quia* iv. *q.* 1

p) *ex Jere.* 11. 10.

q) *c. dispensatio dist.* 43.

Qui

Digitized by Google

Qui Animarum curam habent sub pœna suspensionis (r) extra propriam Parochiam sine consensu Nostro, vel Parochi, nisi necessitate impulsi, nullo modo Sacramenta administrent: imo in propria Parochia alienis subditis Baptismum ne audeant conferre, aut Matrimonio interesse. Idem esto de Sacerdotibus (s) omnibus cuiuscunque gradus, aut conditionis; neque enim ulla ratione fas est in messem alienam irruere, & alium de possessione, & iurisdictione sua deturbare.

r) Conc. Trid. Sess. 24. de Ref. c. 13. c. nullus 11 & 2. iv. q. 2. s) c. 1. xiii. q. 1. argum. in c. cū Epis. de off. ordin. in 6.

Sacramenta, & Sacramentalia Parochi diligenter custodiant, ne a nefariis hominibus ad scelera, & flagitia surripiantur: ideoque Sacra Olea in Ecclesiis semper serventur vasculis bene munitis, & clausis, clavibusque a Parocho semper servatis. Veruntamen facile patimur, ut qui longe absunt a Templo, vel aliqua alia de caussa, quæ gravis sit, Oleum Infirmorum apud se domi habere, dummodo, ut par est, decenter custodiatur.

Monemus prætera, & obsecramus Parochos, & omnes Sacramentorum ministros, ut summo studio ac diligentia (t) illorum vim, & utilitatem frequenter Populis explicent: quod sane optime, & laudabiliter facient, si ex Cathechismi Romani methodo, ac regula Sacramenta, eorumque adiuncta edocebunt, nempe necessaria, & faciliora, ijs prætermissis, quæ redundare videntur, explicantes.

t) Conc. Tr. Sess. 24. de Ref. c. 7.

CAPUT

798

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

a) Conc. Tr. Ses. 6. de Iustific. ad Eph. 2. v. 3.

b) Joan. 1. v. 12.

c] ad Rom. 6. v. 4.

d] ex psal. 22. v. 2.

e) ex Ugo. Card.

f] ex Divo Leon. Pontif. Serm. 5 de Nativ. Dom

g] Joan. 3.

h] ex e. veniens de presbyt. nō Bapt.

NATURA (a) ex Adam Filii iræ nascimur, per Baptismum vero in Christo Filii misericordiæ renascimur: siquidem (b) Deus *dedit hominibus potestatem Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*. Quod quidem tam amplum, atque illustre est, ut quicumque (c) *baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, & sicuti Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos per Baptismum eius in novitate vitæ ambulemus*. Jure igitur & merito, qui tam salutari lavacro mundati sumus, (d) super aquam refectionis educamur a Domino, & reficimur, idest reformamur (e) in homine Baptismali aqua ad similitudinem Dei, quam Diabolus deformaverat per peccatum, & de statu culpæ ad statum gratiæ reducimur: fit hinc, ut aquæ, quæ a Spiritu Sancto replente fontem derivantur, a Divo Leone Pontifice Deiparæ Virginis Utero comparentur; (f) *Factus etenim homo Deus nostri generis, ut nos Divinæ naturæ possemus esse consortes: Originem, quam sumpsit in Utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis. Dedit aquę, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quę fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda crescentem*. Porro Sacramentum Baptismi variis figuris in Sacris litteris demonstratum æque nunc ad salutem est necessarium, atque olim fuit Circumcisio: (g) *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei*; ac proinde aliorum (h) omnium Sacramentorum est fundamentum, & basis: quare singillatim Nos de omnibus verba facturi, ab hoc exordium ducere oportere putavimus.

Ad hoc igitur, ut ea, qua decet, sanctitate, & Religione tam Sanctum tractetur Mysterium, ne alicuius culpa tam grande Divinæ Misericordiæ opus irritum fiat, Parochi in primis, omnesque ij,

ad

Digitized by Google

ad quos Baptisma pertinet administrare, attente se colligant, reputentque, quale ministerium adimpleant: Intentionem (i) habeant actualem, vel saltem virtualem faciendi quod facit Ecclesia; materiam aptam comparent, scilicet aquam naturalem prius benedictam, urgente vero necessitate, etiam non benedictam, proferantque distincte formam, quæ hæc est: *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, trina infusione in capite semper adhibita ad applicationem materiæ. Populum [K] insuper sedulo moneant de necessitate Baptismi, quo carentes salvi esse non possunt, curentque attente, ut Infantes quam citissime ad Ecclesiam ad Baptismum suscipiendum deferantur, neve (l) differant ultra octo dies; semper enim in mora periculum esse potest.

Nemo inter domesticos parietes, aut aliis in privatis locis, nisi in Ecclesiis, (m) ubi fontes Baptismales reperiuntur [quisquis tandem ille sit] baptizare audeat, nisi prius facultatem a Nobis in scriptis impetraverit: excipimus tamen qui eo necessitate adiguntur, ut pueros ad Ecclesiam sine periculo deferre nequeant: secus qui fecerit, aut etiam intererit, (n) pœnis ad arbitrium mulctabitur.

Ubi autem domi Baptismus sit conferendus, qui utique, instante mortis periculo, a quolibet, (o) sive Sacerdos sit, sive Laicus, sive Vir, sive Fœmina, sive Fidelis, sive non, dummodo forma, materia, & intentio Catholicæ Ecclesiæ servetur, valide potest conferri: (p) *Baptismus enim talis est, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille, per cuius ministerium datur*: ubique hoc ordine volumus, ut administretur, ut dignior (q) persona semper seligatur, ita ut præsente Sacerdote Clericus, præsente Clerico Laicus, præsente Viro Fœmina, præsentibus Christianis Infidelis conferendi facultatem sibi nequeat arrogare. Videatur tamen, ut qui ministrare debet, formam Baptismi plane sciat: digniori enim illam ignoranti minus dignus semper præferatur; & ubi aliud pudor, decusque postulet, puta si partus non omnino natus baptizandus sit, Fœmina semper, quocunque secluso Viro, baptizet. Parentes autem, nisi urgente mortis articulo, numquam baptizent.

Cum vero sæpenumero accidat, ut huiusmodi privata Baptismata ab Obstetricibus conficiantur, Parochi attente de earum scientia cognoscant. Quapropter de præcepto Sanctæ obedientiæ indicimus, ut diligenter eas instruant, & de forma, aliisque rebus necessariis interrogent, modum Baptizandi edoceant, demonstrentque, quænam corporis pars sit abluenda: ubi autem necessitas cogat, (r) quodlibet emissum membrum baptizari posse; si vero dubium sit, utrum

i) *ex Ritu Rom. de Sacram. Baptis.*
k) *ex cap. Maiores de Sacr. Bapt. §. ad id autem Conc. Trid. Sess. 6. de Iustific. c. 14.*
l] *ex Cath. Rom. hoc tit. n. 34.*
m) *ex Clem. unic. de Bapt.*
n] *ex dict. Clem. in glossa sup. verb. castigetur.*
o] *c. Sanctū est, & c. in necessitate & c. a quodam Iudeo. dist. 4. de Consecr.*
p] *D. Aug. sup. Ioā. trac. 5. par. 1. ad c. 1.*
q) *ex Ritu Rom. hoc tit. §de Ministro. c. Mulier. & c. in necessitate. de Consecr. dist. 4.*
r] *D. Thom. in 4. Senten. dist. 6. qu. 1. art. 1.*

Digitized by Google

utrum vivus, nec ne sit Infans, hac conditione, *si vivis*; semper baptizent. Moneant insuper Obstetrices, ut secundinas, quæ Infantes consequuntur, comburant, vel sepeliant, Obstetrices vero, quæ omnia hæc ignoraverint, eas omnino a Ministerio reiicimus; reliquę iurati Parochi fidem de Scientia circa Baptisma, priusquam ministerium suscipiant, impetrare teneantur.

Quod si domi baptizatus convaluerit, cum primum licuerit, ad Ecclesiam pro ritibus, & consuetis Ecclesię Cęremoniis conficiendis deferatur. (s) *Ritus siquidem & Cæremoniæ sunt veluti imagines effectuum cuiuslibet Sacramenti*; & quamvis minime necessarię sint, sunt tamen apprime utiles. Veruntamen Parochus inquirat prius, utrum Infans valide sit baptizatus, nec ne; quod si omnia rite, ac recte peracta esse intelligat, Cæremonias perficiat, si vero probabiliter de aliquo essentiali defectu dubitare possit, *sub conditione* (*t*) denuo baptizet; quem conditionaliter baptizandi morem etiam cum expositis pueris semper volumus retineri.

Singulæ Parochiales Ecclesiæ habeant Fontes, in quibus diligenter toto anno Aqua Baptismalis solemniter Benedicta servetur. Fons autem lapideus sit, intus divisus, conspicua Ecclesiæ parte situs columnis septus, & pessulo bene munitus. Vascula, in quibus Oleum servatur, sint decenter elaborata; continent enim (u) *Unctionis Oleum Sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, quod qui tetigerit, sanctificabitur*; Oleumque quotannis renovetur, veteri combusto: quo Parochis sub pęnis ad Nostrum arbitrium, prout sacri (*x*) Canones cavent, uti ne liceat: cætera denique serventur omnia, quæ Nos, Diæcesim cum perlustravimus, statuenda esse censuimus.

Cum autem Sacramentum Baptismi fons vitæ sit, & ipse fons lumen, (*y*) in quo videbimus lumen, eo tempore ministretur, quo frequentior Populus esse solet: ita enim magis Dei gloria, & eius erga nos summa Misericordia elucere poterit: cavendum tamen, ne Chori, Ecclesięque Religiones impediantur. Porro ne ante solis ortum, vel post eius occasum, nisi summa adigente necessitate, Baptismus administretur.

Adulti non admittantur ad Sacramentum Baptismi, nisi (z) prius bene instructi de necessariis ad vitam æternam, qui etiam intentionem, & consensum profiteri tenentur. (*aa*) Muti, & Surdi, nisi de eorum voluntate sit cognitum, & (*bb*) Amentes, nisi ante dementiam propositum suscipiendi Baptismum habuerint, ne admittantur. Qui autem a nativitate Amentes sunt, si aliquando rationis intervallo ducti Baptismum petant, baptizari possunt, licet

s) *ex Cath. Rom. hoc tit. nu. 59. & in fum.*

t] *ex c. de quibus de Baptis.*

u] *Exod. 30 e.*

x] *Dist. 4. de consecr. c. siquis de alio*

y) *ex psal. 35. v. 10.*

z] *c. qui reced. & c. is qui* xxvi. *q. 6 D. Thom. in 1. p. 100. art. 1. in corp. & in 1. II. q. 81. art. 1. in corp*

aa] *ex cap. tuæ Fratern. de spons. & Matr. dict. c. qui & seq.*

bb) *c. maiores de Bapt. § Amentes. & § Verum & § itē quæritur.*

ſicet Eccleſia conſueverit, etiamſi nullo tempore ſanæ mentis fuerint, in neceſſitatis articulo eos baptizare. Ii tamen omnes, niſi prius facultatem a Nobis Parochi impetraverint, ſub pænis ad Noſtrum arbitrium non baptizentur.

Ne plures (*cc*) ad tollendum Infantem accedant, quam unus ſive Vir, ſive Mulier, vel ad ſummum unus & una; inter quos & Baptizatum, & illius Patrem & Matrem ſpiritualis cognatio contrahatur: Quam cognationem Spiritualem etiam inter Baptizantem & Baptizatum, Baptizatique Patrem & Matrem, ex lege Sacroſancti Concilii Tridentini, contractam eſſe intelligimus. Rejicimus tamen (*dd*) Infideles, excommunicatos, Amentes, Publicos peccatores, non Confirmatos, decimum annum non agentes, & Fidei myſteria ignorantes; Regulares (*ee*) quoque omnes, ac Sæculares in ſacris conſtitutos, niſi eis Nos prius facultatem dederimus. (*ff*) Parochus itaque, antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter eos, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur de nominibus eorum, vel earum, quas elegerint ad ſuſcipiendum Infantem, & eum, vel eos tantum admittant; moneantque de cognatione ſpirituali, ne ignorantia ulla excuſari poſſint, (*gg*) Oſtendant præterea, quid polliceri Baptizato coram Chriſto, quidque præſtare debeant ſuſcipientes.

Porro librum habeant (*hh*) Parochi, diligenterque cuſtodiant, in quo Baptizati Parentumque, ac Patrinorum nomina & cognomina deſcripta ſint: diem nativitatis, & baptiſmi ſignent; & an ex legitimis Nuptiis procreatus fuerit Infans, attente & accurate demonſtrent.

cc) *ex Conc. Trid. Seſ. 24. de Ref. Matr. c. 2. c. non plures diſt. 4. de conſecr. c. quãvis & c. veniens de Cogn. Spirit. in 6.*

dd) *Cap. in Bptiſmo. & c. Vos ante omnia. diſt. 4 de conſecr.*

ee) *C. non licet. & c. Monachi dic. diſt. 4. c. pervenit* XVIII *q. 2.*

ff) *Cõc. Tr. loc. cit.*

gg) *c. Vos antẽ diſt. 4. de conſecr.*

hh) *Concil. Trid. loc. cit. in fin.*



Digitized by Google

402

CAPUT X.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

a] *Conc. Tr. Sess. 7. de Cōfirm. can. 1.*
b] *ex Ep. ad Rom. 5. v. 5.*
c] *ex Melchiad. Pontif. in ep. ad Hisp c. 2. vide in c. 1. & 2. de cōsecr. dist. 5.*

POST Baptismi regenerationem, Confirmatione, veluti consumatione Baptismi, omnibus Fidelibus opus est. Quæ quidem cum verum sit Sacramentum a Christo Domino institutum, iure, (*a*) & merito ab Ecclesia anathematizatur qui id impie negare audeat. Eius porro tanta vis est, ut charitas, quæ per Baptismum inducitur (*b*) in corda nostra per Spiritum Sanctum, qui nobis datur, ad prudentiam, & constantiam, dilatetur. Nam (*c*) *Spiritus Sanctus: qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione autem augmentum præstat ad gratiam*; & quia nobis in terris degentibus inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est; fit hinc, ut qui in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmemur ad pugnam, & qui in illo abluimur, post illum roboremur: licet enim statim post Baptismum morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Quapropter de hoc tam salubri Sacramento acturi cum simus, ne in vacuum gratia Dei recipiatur, statuimus in primis,

d] *ex Cath. Rom. de Sac. Confirm. c. 1. & 2.*
e] *Conc. Tr. loc. cit. can. 3. c. manus quoque de cōsec. dist. 5.*
f] *D. Thom. q. 69. art. 4. & q. 72. ar. 3*
g] *c. omnes de consecr. Dist. 5.*

Ut simul ac Parochi ex edicto Nostro intellexerint, quæ a Nobis statuta dies sit ad hoc Sacramentum conferendum, indicent eam in Ecclesia frequenti Populo, illumque (*d*) vim, & virtutem Confirmationis edoceant; ostendantque summa cum pietate, & religione hoc Sacramentum suscipiendum esse, ne ipsorum culpa, maximoque malo eveniat, ut frustra Divinum hoc beneficium collatum esse videatur. Instruant illum de materia, & forma huius Sacramenti, & de Ministro, (*e*) qui solus Episcopus est. Doceant præterea, hoc Sacramentum ad salutem minime (*f*) quidem esse necessarium, esse tamen (*g*) ab omnibus accipiendum, ut novæ virtutis robore firmati, fortiores, ac validiores Christi milites esse incipiant:

Digitized by Google

incipiant. Denuncient insuper omnibus diem, quo Episcopus Parochiam perlustrans tale Sacramentum ministraverit, ex laudabili consuetudine tanquam Festum celebrari debere, ac proinde omnes Sacro interesse oportere, & ab operibus servilibus se abstinere, iuxta laudabilem consuetudinem.

Cum characterem (*h*) imprimat Sacramentum Confirmationis, quo fit, ut nulla unquam ratione iterari possit, ideo ad illud nullo modo admittantur, qui saltem septimum annum, nisi aliqua de caussa secus Nobis faciendum videatur, non attigerit; ne quis oblivione captus denuo confirmetur. Quare Parochi ne tabellas ijs, qui confirmandi erunt, distribuant, quod indicimus ex obedientiæ præcepto, nisi prius per Baptismi attestationes de septennio cognoverint: in quo ne fraus aliqua oriatur, tabellæ ipsæ a Parochis subscriptæ sint, alias factæ non admittantur. Si quis autem Adultus in dubio sit, utrum confirmatus fuerit, nec ne, in tutiorem sententiam eat, ne plures scrupuli suboriantur, dubioque expulso, si pro negativa statuat, ad Confirmationem recipiendam accedat.

Cum autem Sacramentum Confirmationis eam gratiam (*i*) conferat, quæ nulla ratione cum peccato (K) mortali esse potest, ne accedant sacrilege, & Spiritum (*l*) Sanctum contristentur, in quo sunt signati, moneant Parochi Adultos, ut priusquam ad illud accedant, Animam ab omni mortali labe purgare studeant omnesque, qui Confirmationem perunt, si in Dęmonis potestate: per ætatem esse possint, curent, ut confiteantur: (m) *Sicut enim a se fulgorem Solis excludit, qui fenestras domus suæ clauserit, ita qui se averterit a Sole Justitiæ, non potest splendorem eius accipere*. Instructos quoque, & bene edoctos in Fidei rudimentis, & scitu ad salutem necessariis confirmandos præparent, ad hoc ut tam grave ministerium, qnod operantur, recte intelligant.

Quod de Baptismo diximus circa Compatres, seu Patrinos, etiam de Confirmatione (*n*) statuimus; eamdem cognationem spiritualem, idemque debitum esse commonentes. Imo eosdem omnes, quos eo loco enumeravimus, arcemus a susceptione: id tantum addimus, ut (*o*) Fęminæ Puellas, Viri autem Pueros, & singulæ singulas, singuli singulos, seu ad summum binos suscipiant.

Volumus insuper, ut, qua ratione commodius fieri poterit, Parochi librum habeant, in quo Confirmatorum, & Compatrum nomina, servatis omnibus, quæ de Baptizatis præscripsimus, adnotentur: Et si alieni subditi in eorum Parochia confirmabuntur, seorsim eorum nomina perscribantur, & propriis Parochis tradantur.

h] *Cath.R. loc cit. c. 22. D.Thom.p. 3.q.73.c. dictum est. de consec.dist.5.*

i] *Cath.Ro. loc. cit.n.11.*
k] *Conc.Tr. Ses.7. can.6.*
l] *ad Eph. 4. 30.*

m] *D.Ambr. relatus in pōder.psal.118 v.151.a. P. Antero.*

n] *Conc.Tr. Sess. 24. de Ref.matr.c.2 § ea quoque. c.1.de Cogn. Spir.§ex Cōfirmatione.*
o] *Rit. Ro. de Sacr.Confirm.*

804-

CAPUT XI.
DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

a] ex Jo.20

b] Cōc.Tr. Sef.14.can.2 cap. secunda Dist.2 de pœnit.

SANCTISSIMUM Penitentiæ Sacramentum, maximo Christi Beneficio tunc institutum, cum per datum spiritum Sanctum remittendi, (*a*) ac retinendi peccata potestatem Discipulis fecit, jure ac merito (*b*) secunda post naufragium Tabula appellatur. Cum enim, quod nostræ infirmitatis est, Baptismalem innocentiam amittentes identidem quasi naufragium faciamus, illud nobis ad securitatem Dominus veluti tabulam dedit. Existit hinc summa, & omnino admirabilis Divinæ Naturæ bonitas, atque benignitas magis ad indulgentiam prona, quam ad supplicia. Et jam vero: nonne adulterio, (*c*) atque homicidio sese Propheta obstrinxit? (*d*) Nonne peccavit Achab innocentis sanguinis effusione? Verumtamen in amaritudinibus cum demorata esset anima illius, transtulit Dominus peccatum illius; Quia vero Achab humiliatus est caussa Dei, non fuit inductum malum in diebus eius. Neque enim ullo unquam tempore (*e*) voluit Deus peccatoris mortem, *sed ut convertatur impius a via sua, & vivat*; ac si quis, in aliquid eum offenderit, vera penitentia ductus resipiscat, adhuc (*f*) *sedere eum faciet in Tabernaculis, sicut in diebus festivitatis*, ut (*g*) *quod facit Baptisma, hoc faciat pœnitentia, & habitet in tabernaculis Salvatoris*.

c] ex 2.Reg. 12.

d] ex 3.Reg. 21.

e] Ezech. 33. v.11.

f] Oseæ 12 v. 9.

g] D.Hier. in c.12.Ose.

Ut igitur hoc presentissimum humanæ fragilitati remedium, de quo verba facere instituimus, aggrediamur; in primis in Domino Jesu Christo, qui salutem humani generis in Ara Crucis operatus est, Parochos, & Confessarios omnes obsecramus, ut diligenter sese colligant, quidque tractent, attente reputent. Quemcumque enim (*h*) ligaverint super terram, erit ligatus & in Cœlo; & quemcunque solverint, erit solutus: quapropter Divinæ Gloriæ, conscientiæ propriæ, Filiorumque suorum spiritualium sedulo consulant, caute & prudenter agant, necessaria discant, patientiam exerceant, & charitatem in corde accendant: animadvertant præterea, se cum Demone capitales inimicitias suscepisse, qui a (*i*) corpore obsessi aliquando expulsus septem alios nequiores se sumpsit, ut denuo ingrederetur; quique (*K*) *tanto ardentius sævit, quanto ferventius ad cœlestem Patriam anhelare cognoscit*. In omnibus tandem ita se gerant, ut ne (*l*) trahantur simul cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem, ne perdant se.

h] ex Matth.16.18.

i) ex Luc. 11.

k) D.Greg. in Regist.l.7.

l) ex psal. 27.3.

Benigne

Digitized by Google

Benigne itaque in primis, & humaniter, ut par est, ad Sacramentum pœnitentię accedentes excipiant; suaviter, priusquam peccata confiteri incipiant, interrogent, an Conscientię latebras inspexerint, & actum doloris emiserint, in quibus si deficientes reperiant, paterne studeant eos adjuvare: Feminarum pudori occurrant, Divināque iis misericordiam ob oculos ponant, dumque peccata pęnitentes enarrant, importune non arguant, ne a confessione peccatorum deterreant, sed pietate ducti cognoscant, & misereantur. Confessione vero absoluta, non modo peccata, (*m*) verum etiam adjuncta, quæ peccata circumstant, recte æstiment: tunc, si opus est, interrogent, (*n*) tunc arguant, tunc increpent, si opus est; vacent tamen monitiones acerbitate, & obiurgatione consilia, quæ dederint; gravitatem delictorum, illatasque Deo Optimo Maximo injurias benevole explicent, ut odium potius in culpas incendant, quam pęnitentium animos terreant. Si quę interrogare opus fuerit, prudenter sese gerant, præcipue si res cum Virginibus sit, & Adolescentibus, ne doceant incognita, priusquam patrata requirant. (*o*) In pęnitentiis imponendis prudentiam consulant, & ex gravitate delicti, & ex pęnitentis natura de pęnitentiis decernant. Ita demum pęnitentes excipiant, (p) *in mansuetudine, & charitate spiritus eos amplectentes*, ut Dominum imitentur, qui convocavit (*q*) amicos suos, & vicinos dicens, *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat*.

Ostendant assidue Parochi Populo huius Sacramenti necessitatem, moneantque singulos utriusque sexus Christifides, (*r*) saltem semel in anno, rationis usum cum habeant, ad pęnitentiam accedere oportere. Ea doceant quam diligentissime, quæ ex parte pęnitentis requiruntur ad validam huius Sacramenti susceptionem: de integritate confessionis, de proposito, deque dolore moneant: ad frequentiorem hujus Sacramenti usum illum hortentur: & quia sancte sancta tractanda sunt, Superpelliceo, & Stola induti, ubi necessitatem causari nequeant, (*s*) Sacramentum pęnitentiæ ministrent.

Ne audeant Confessarii in virtute S. obedientiæ Fidelium Confessiones, sed præsertim mulierum, extra Ecclesiam, nisi necessitate coacti, aut ob caussam infirmitatis, audire, neve ante ortum Solis, aut post eius Occasum. Ubi autem infirmarum mulierum confessiones intra domesticos parietes audierint, ne id, nisi apertis januis, sub pœna privationis officii, & inhabilitatis ad confessiones amplius audiendas, exequantur. In Ecclesiis vero semper (*t*) e sedibus illas audiant in loco patenti, & aperto collocatis, cratesque velo opertæ, exiguis foraminibus pateant: affigatur tabella casuum Nobis reservatorum, & aliqua Sacra imago ob oculos pœnitentium sit posita.

m) *Coc. Tr. Ses. 14. de Sacram. Pœnit. c. 5. c. aut facta dist. 1. de Pœnit.*

n) *ex Epist. ad Timot. 4.*

o) *c. pœnitētibus. & c. pro qualitate. & c. hoc sit. de pœnit. dist. 1. c. Deus qui. Eccles. de Pœnit. & remiss.*

p) *D. Hier. ad Rust. c. de 6. gradu Ecclesiæ.*

q) *Luc. 15.*

r) *c. omnis utriusq. de Pœnit. & remiss.*

Coc. Trid. Ses. 14. de Sacram. pœnit. c. 5. § neque enim.

s) *S. C. R. 1588. S. No.*

t) *Cong. Ri. 29. Novem. 1604. Urban. VIII. Const. Pastoralis 1627.*

Nemo

u]*Conc.Tr. Sess. 23. de Ref. c.15.*

x]*Conc.Tr. ibi. Clemēt.dudum de Sepulturis § deinde. c. si Episcopus de peniten.in 6. Pius V. 6. Aug. 1571. Clem.VIII. Const.superna 1670. Cal.Julii.*

y] *ad Eph. 6. v. 9.*

z] *Paralyp. 2. 19. 7.*

A]*ex Eccl. 40.*

B] *ex psal. 20. v. 18.*

C)*D.Amb. relatus in c. libēter de penit.dist.1. & ex Ose.6.*

D) *Innoc. XI. decr.61. 62. 63. 6. Mar.1679.*

Nemo audeat Confessiones sacramentales audire, (*u*) nisi qui aut Parochiale beneficium possideat, aut a Nobis, vel Vicario Nostro Generali per examen idoneus inventus fuerit, qui etiam a Parochis facultatem impetrare debebit, nisi aliud a Nobis statuatur, sub pęna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda. Idem judicium esto de Regularibus, (*x*) privilegiis, aut consuetudine quacumque non obstantibus: Qui Testimonialibus a suis Superioribus impetratis, ad examen coram Nobis, vel Vicario Nostro Generali pro approbatione accedere teneantur; quibus insuper sub pæna suspensionis ab Officio ipso facto incurrenda, & invaliditatis ad illud in posterum suscipiendum vetamus, ne audiant confessiones Fidelium in Ecclesiis Sęcularium, nisi de Parochorum licentia.

(*y*) Nulla sit apud Confessarios Personarum acceptio: [z] *Nulla etenim est apud Dominum Deum Nostrum iniquitas: nec personarum acceptio, nec cupido munerum:* sed pauperem humaniter ęque ac divitem accipiant; pretium enim Sanguinis Christi omnes sumus, quem pro nobis in Ara Crucis Dominus Noster insumpsit: ideoque liberent omnes, (A) qui injuriam patiuntur, de manu superbi, Patresque benevolos sese ostendant. Caussas quamobrem absolutionem pænitentibus denegent, attente circumspiciant, neque privato, ut ajunt, aliquo respectu, pœnitentiam petentibus denegent: (*B*) Cor enim contritum, & humiliatum Deus non despicit, & libenter (*C*) ignoscit Dominus, prompte indulget, misericordiam mavult, quam Sacrificium, Ambrosio teste: *quia per Sacrificium justus comendatur, per misericordiam peccator redimitur. In lege Sacrificium, in Evangelio Misericordia est: lex per Moysem data est: gratia per Deum.*

Verum enimvero ne tam facile absolvantur (*D*) publici peccatores, consuetudinarii canonice sic probati, neque in proxima occasione constituti. Ignorantes autem rudimenta Fidei paterne prius a Confessariis instruantur, quibus tamen absolutio usque eo erit deneganda, dum illa didicerint. Sacerdos insuper a Complice alicuius patrati delicti non absolvatur. Nullus Sacerdos sive Sęcularis sit, sive Regularis, qui a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali facultatem, non impetraverit, non obstantibus quibuscunque privilegiis, a Casibus Nobis reservatis, quos infra ponemus, pęnitentes absolvat [excipe tamen mortis articulum] sub pęnis in decretis Sacræ Congregationis, & in constitutione Clementis Decimi statutis, aliisque arbitrio Nostro statuendis. Si vero a pęnitente aliquod reservatum audierit, vel a Nobis facultatem absolvendi petat, vel pęnitentem ad Nos remittat, & licet eum non possit absolvere, sciat,

Digitized by Google

sciat, se teneri ad sigillum Confessionis. Cum autem vigore Jubilæi Confessarii facultatem habeant absolvendi a reservatis, eam tamen ad vinculum irregularitatis nullo modo dilatari posse, nisi specialiter hoc sit expressum in Bulla declaramus.

Caveat omnino Confessarius, ne verbo, aut signo, (*E*) aut aliquovis modo peccatorem prodat: quod si prudentiore consilio indiguerit, pænitentis nomen subticens, illud ab alio petat; quoniam qui peccatum in pęnitentiæ judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum ut a Sacerdotali Officio deponatur, decernimus, verum etiam, ut aliis gravissimis pænis puniatur. Quod intelligimus etiam de peccatis complicis, & de peccatorum adjunctis, quæ possint (*F*) inducere cognitionem, quæ omnino tam directe, quam indirecte ne revelentur.

Cum autem portio nostra Dominus sit, (*G*) et pars nostra Deus in æternum, caveant Confessarij, (*H*) ne turpe lucrum sectantes, verbis Prophetæ dignos se reddant, qui reprehendantur. (*I*) *Principes eius in muneribus judicabant, & Sacerdotes eius in pecunia docebant*. Quapropter ne quid exigant a pœnitentibus occasione Confessionis; eleemosynas nulla ratione petant, atque adeo in actu Confessionis oblatas respuant: Missas celebrandas ne extorqueant, neve pecuniariam satisfactionem recipiant: secus qui fecerit, leges obedientię violabit, & gravissimis ad arbitrium pęnis mulctabitur. Porro Confessores tam Sæculares, quam Regulares, in quocumque gradu sint collocati, de restitutionibus incertis, quæ veniunt in Confessione, ac eorum arbitrio a pænitentibus traduntur, inconsulto Episcopo, nequeant disponere, sub pœna suspensionis a Confessione ipso facto incurrenda.

Cum ex locupletissimo Christi Domini testimonio a peccato nonnunquam in morbum corpora delabantur, ita enim (*K*) languidum, quem sanaverat, est allocutus: vade, *ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: Cautum, Sanctumque esse volumus, (*L*) ut Medici corporum quamprimum ad Infirmos advocantur, eos moneant in primis, adducantque, ut Animarum Medicos quærant, ac prius de Animæ salute cogitent, quam corpori remedia adhibeantur. Super hoc eorum Conscientiam oneramus, illos insuper admonendo, quod si minus Infirmi paruerint, amplius ad eos non accedant: secus qui fecerint, in pęnas, quas Sacræ Constitutiones (*M*) intentant, incident. Id ipsum & Parochis præcipimus, utpote Animarum Medicis, exobedientiæ pręcepto, qui etiam conjunctos, & domesticos admonere debent, ut ad spiritualia remedia exquirenda Infirmum inducant.

E] *c.omnis. de pænit. & remis.§ caveant.*

F]*Urb.*VIII *in decr.de casib. reser. 26. Maij 1593.*

G] *ex psal.* 22. v. 10.

H] *ex Ep. ad Tit.* 1.

I] *Mich.* 3. v. 11.

K] *ex Joan.* 5.

L] *cum Infirmitas de pænit.& remis.*

M] *dic. c. cū Infirmitas § siquis*

Pius V. *const. supra Gregē* 1566.

Cum

Cum iis, qui aut mortale vulnus acceperunt, aut in repentinum morbum inciderint, prudenter, & attente sese gerant Confessarii: contritionem eliciant, efficiantque, ut peccata commissa deleant, & confiteantur. Si vero (N) in maximo periculo erunt, nec quidquam loqui poterunt, saltem doloris signa, quoad eius fieri poterit, petant ad absolutionem necessaria: sin minus eorum testimonio utantur, qui aderunt, quærantque, utrum Confessionem petierint, nec ne, & de eorum vita, & moribus cognoscant: quod si vel Confessionem desideraverint, (O) vel *si in Deum a fide discedendo non peccaverint*, ut aiunt Canones, absolvantur in Domino sub conditione: *si capax es*: *Dei enim misericordiæ* (P) *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conversio*; (Q) *Quia Spiritus Sancti gratia tarda nescit habere molimina.*

N] *c. multiplex. de pœnit. dist. 1. §. quod si in fine*

O] *dic. c. multiplex § His autem in fine.*

P] *Leo Episc. relatus in dic. c. multiplex.*

Q] *D. Amb. lib. 2. in Luc. c. 1.*

Regulares omnes, qui a Nobis facultatem impetraverint audiendi in hac Nostra Diœcesi Confessiones, ante festum omnium Sanctorum, juxta (R) laudabiles Antecessorum Nostrorum Constitutiones, sua nomina in Tabella descripta Nobis quotannis proferant ut quos Vineæ Domini Cooperatores habemus, dignoscamus. Declaramus autem eos, quorum nomina non deferantur, a Confessione suspensos.

R] *Constit. Syn. Cen. hoc. tit. n. 12.*

Hoc loco ducimus addendum, ne Mulieres, quacumque de caussa, secum proprio Thoro Infantulos teneant: passim etenim eos vita periclitari ex hoc absurdo cognitum fuit. Quare Confessariis omnibus, in primis vero Parochis ex obedientiæ lege mandamus, ut si tale aliquid in Diœcesi hac Nostra deprehenderint omnino studeant avertere, omnibus remediis adhibitis, etiam Sacramenta renuentibus pernegando.

CAPUT

CAPUT XII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ,

& de Sacrificio Missæ,

SACRAMENTORUM omnium excellentissimum, atque adeo (a) *Miraculorum a Christo patratorum Maximum* esse Sanctissimæ Eucharistiæ mysterium, nemo, qui sanæ mentis sit, inficiari potest; inde enim veluti ex perenni Cœlestium bonorum fonte omnis plenitudo gratiæ derivatur. Illustre inde, ac splendidum Divinæ erga nos charitatis signum exstitit, ac tandem in illo amplissimo quodam, & veluti magnificentissimo apparatu Divinorum attributorum splendor elucet. Cum enim omnipotens Dominus sit, plus nobis dare non potuit, cum sit sapientissimus, plus dare nescivit, cum sit ditissimus, plus dare non habuit. Ipse siquidem Christus, (*b*) *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*; factusque Viatorum cibus spiritualem nobis suo corpore alimoniam suppeditavit; ut sicuti olim lethale homini ex cibo vulnus inflictum fuit, ita ex hoc medicina, atque remedium ægro homini adhibeatur: dictum enim de illo est: (c) *quacunque die comederis morte morieris*; de hoc (d) *si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum*.

Par itaque est, ut Parochi, iique omnes, (e) quos *Idoneos fecit Dominus novi Testamenti Ministros*, tota mente, atque animo contremiscant, priusquam rem tam Sanctam, atque admirabilem, qua nihil sane mirabilius habet Ecclesia Dei, tractent; (f) se ipsos colligant gratias Deo referentes; spirituales sordes eluant: summo cum timore se præparent: (g) semetipsos probent, & sic de Pane illo edant, & de Calice bibant. (h) *Væ enim tradentibus Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus, illum etsi non tradant Judæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipsi membris inimici ad sumendum.*

a] *D. Tho. Opusc.* 57.

b] Jo. 13. 1.

c] *Genes.* 2.

d] *Joan.* 6.

e] *ad Cor.* 2. 3. *v.* 6.

f] *ex Conc. Trid. Ses.* 13. 17. *c. & Sācta. & c. sicut Judas. de cons. secr. dist.* 2.

g] I. *ad Corint.* 11.

h) *ex Remigio Glos. sup. Matth.*

Digitized by Google

810

Quod assidue Populis quoque demonstrare ne desinant, quod eorum officium præcipuum est, ad hoc ut Sacramentalem Eucharistiam sumpturi, summa (l) animi integritate, & innocentia ad illam accedant, peccata deleant: Animam probent, nihilque, preter devotionem, & humilitatem, præseferant: moneant de necessitate Jejunij, (m) eosque excipiant, qui fuerint infirmi: placuit enim Spiritui Sancto, ut in os Christiani prius Corpus Domini, quam naturalis cibus intret; ita ut saltem a dimidia diei proximi nocte usque ad illud tempus, quo Sacra Eucharistia accipitur, nihil omnino comedere, aut bibere liceat: instruant de vera, & reali essentia, & præsentia Christi, & de eius utilitate, & uberrimis gratiæ fructibus: vere enim est cibus Animæ, (n) per quem in Deo manet, qui illum digne sumit, & Deus in eo. Curent preterea, ut semel saltem in mense, & in Solemnioribus festivitatibus panem Angelorum manducent, Animamque salubri Viatico nutriant: debent siquidem Christifideles (o) esse *perseverantes in communicatione fractionis panis*, (p) *ut vitam habeant, & abundantius habeant*. (q) Denuncient tandem singulis, qui id etatis fuerint, ut facile de rebus judicare possint, penas, quas Ecclesiæ leges iis intentant, qui saltem semel in anno, cum Pascha celebratur, ad hoc Sacramentum accedere neglexerint.

Adolescentibus, qui Eucharistiam sumere voluerint, ne Parochi præbeant: nisi iis antea luculenter explicuerint vim, & rationem huius Sacramenti, & interrogatos (r) de rudimentis Fidei, plane edoctos si invenerint, patiantur ad Sacram Synaxim accedere.

Porro Excommunicati, (s) interdicti, manifeste Infames, publice Concubinarij, & huiusmodi canonice indigni, nisi de eorum pænitentia constet, & de publici scandali satisfactione, reijciantur. Peccatores autem occultos, (t) si oculte petant, Parochi arceant a Communione, si vero publice illos nominatim removere non audeant, quamvis intelligant gravis culpæ reos esse, ne scandalum oriatur; *neque enim Christus ipse Iudam a Communione removit*. Item arceantur (u) Amentes, & Phrenetici, dummodo interdum non resipiscant, nullumque periculum [quod Parochi attente providere debent) scandali, & offensionis esse videatur.

Diximus non ita multo ante cautum esse ab Ecclesia, ut omnes Christifideles saltem semel in anno huic Mensæ Angelorum accumbant; ac proinde precipimus Parochis ex Obedientie præcepto, ut sedulo inquirant, num omnes Parochiani præcepto Ecclesiæ paruerint; (x) schedulas singulis exhibeant, de quibus postea cognoscant, ut de absentibus certiores fiant: (y) Contumacium autem

l] *ex Conc. Tr. loc. cit. c. quid est. & c. qui manducat. loc. cit.*

m] *c. liquido de cōsec. dist. 2. Cath. Rom. loc. cit. n. 57.*

n] *ex Joa. 6*

o] *Acta. 2. n. 42.*

p] *Joa. 10. 10*

q] *C. omnis utriusque de pænit. & remis. Congr. Conc. 30. Jan. 1587.*

r] *ex Cath. Ro. hoc. tit. n. 26.*

s] *ex Rit. R. hoc. tit. § Fideles. Conc. Prov. Med. 2 hoc tit. § Publici.*

t] *ex D. Th. in 3. p. 80. ar. 7. ex Soto in 4. Sent. dist. 22. art. 6. C. si Sacerdos de officio Iudic.*

u] *ex Cath. R. hoc. tit. n. 63. vide Glos in c. qui recedunt.*

Digitized by Google

autem nomina describant, ut octavo a Paschate die, ex eadem lege, ad Nos deferant, una cum caussis, quas extra Confessionem cognoverit, cur abfuerint. Si quis autem (z) vel eorum consilio communionem distulerit, vel necessitate coactus, aut aliqua alia iusta de caussa, quę Nobis probari debebit, extra suam Parochiam Eucharistiam dicto tempore sumpserit, testimonium iurejurando firmatum ad Nos deferat, secus si fecerit, æque reus judicabitur, ac si non communicasset.

Clerici omnes, & Sacris initiati, (A) qui ad Dominum ambulant, & eius Militiæ Sacramento obstricti sunt, saltem semel in Mense communicent: Parochi autem de hac re recognoscant, qui fidem Nobis eorum vitæ ne faciant, nisi id jurati Nobis confirmare queant.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo vere Regem Regum illum adoramus, & colimus, qui ascendens super Sydera, & super Cherubim, & Seraphim Choros, in Throno immensæ lucis, & gloriæ sedet ad dexteram Patris, ea, qua decet, veneratione, & sanctitate volumus, ut servetur. Statuimus itaque, ut in Ecclesiis, quæ vere Domus Dei sunt, (B) Sacrarium in Majore Altari, vel in alia nobiliori parte sit situm, ubi asservetur. Sit autem Sacrarium quanta maxima potest magnificentia constructum, vel ex marmore, vel ex ligno deaurato confectum: intus decenter ornatum, & extra bene munitum. (C) Sit Clave argentea obseratum: quæ semper custodiatur a Parocho, & aptis, nitidisque Conopeis omnium colorum, pro opportunitate temporum, semper ornatum.

In Sacrata (D) Pyxide argentea, & in Cratere deaurato subter corporali strato ad sumenda, si quæ cadant fragmenta, semper servetur: habeantque singulæ Ecclesię duas Pyxides, quarum altera semper in Sacrario maneat, altera pro Infirmis deserviat. Ostensorium quoque, quod sit argenteum, aliove, ni id fieri possit, metallo compositum, dummodo saltem auratum sit, & lucido vitro munitum, per quod Sacratissima hostia, in qua (E) *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus*, a Fidelibus videatur. Nunquam e Sacrario abstrahatur quocumque pretextu, nisi aut Communionis, aut Processionis, aut Expositionis, caussa; (F) ac semper lampas ante Sacramenti Tabernaculum diu, noctuque ardeat: omnia tandem præstentur, quæ ad eius honorem, & cultum, diœcesim cum perlustravimus, unicuique Ecclesię pro re nata mandavimus.

Quando Sacramentum hoc, (G) datum escam timentibus

[Dist. 16. q. 6 in verbo Amentibus.

x] *ex Rit. R. de cō. Pasch. § ut igitur.*

y] *ex Conc. Prov. Medi. hoc tit. § qui præstituto & seq.* *Cong. Cōc. 30 Jan. 1587.*

z] *ex dic. c. ōnis de Pæn. & remis. § nisi forte.*

A] *ex D. Hier. ep. ad Nepoti.*

B] *ex Rit. Ro. hoc tit. § Parochus & § curare.* *Conc. Tr. Sess. 13. c. 6. & 7.*

C] *c. 1. de custod. Euch.*

D] *c. vasa. & c. ut Calix de consecr. dist. 1.*

E] *ex psal. 110 v. 5.*

F] *ex Conc. Prov. 1.*

G] *ex Conc. Prov.*

Digitized by Google

812

Deum, administrare oportuerit, accensa lumina adhibeantur, superpelliceo, & Stola indutus Sacerdos ut decet Dei vivi Ministrum; videatque ne Hostia decidat, aut disperdantur fragmenta: perutile autem erit cum Pyxide etiam Patenam sinistra manu tenere: Caveat, nequis, Sacro Pane accepto, manus ori admoveat: Vinum, si opus fuerit, e vase, quod formam Calicis ne habeat, iis præbeat, qui sumpserint; nihilque exponat ad eleemosynas colligendas, quod ex gravissimis obedientiæ legibus vetitum esse intelligimus.

Revera Viatorum Cibus est Sacramentum Eucharistiæ; ideoque cum omnibus, tum maxime iis necessarium, qui ad æternitatem iter, Deo volente, jamiam suscipiunt: quapropter Pane Angelorum Infirmos (I) Parochi sine piaculo fraudare non possunt; simul enim morbo periculum aliquod creari posse cognoverint, statim sacra Synaxi eos recreare tenentur, ne sine communione moriantur. Quod ne omittant, iterum atque iterum obsecramus; (K) hic enim est *cibus charitatis, & pacis, qui viam nobis ad æternam felicitatem, & gloriam munit*. Superpelliceo semper, & Stola, (L) atque adeo Pluviali, per Urbes, & Oppida Panem Angelorum efferre cum oportuerit, induantur. Porro præferantur faces, & lumina; decoro ad ornatum vasculo, velo mundo, decentique contecto occludatur; præcedat, qui pulset tintinabulum; Sacerdosque, qui efferet, Umbella contegatur.

Duas Sacræ Hostiæ Particulas deferant, ne ad Ecclesiam cum revertentur, inane Vasculum a Populis adoretur; Populusque Campanæ sonitu invitetur. Ubi autem (M) difficile erit iter, unam tantum Particulam deferre licuerit, qua Infirmo ministrata, privatim Sacerdos discedere poterit, atque etiam sine pompa deferret semper tamen, ubi reponendum sit Sacramentum, priusquam ægroto præstetur, curet, ut Mensa linteamine mundo, & aliqua Crucifixi Imagine, vel saltem Crucis ornata sit. Qui minime paruerit, (N) gravissimis pœnis mulctator.

Ad Ecclesiam reversus cum fuerit, (O) Indulgentias a Summis Pontificibus devote, & pie prosequentibus concessas promulget, ut ad rem tam Sanctam, & laudabilem Populus incendatur; easque in primis legat, quæ Confratribus societatis Sanctissimi Sacramenti (P) concessæ sunt, ad hoc ut facilius incitetur Populus ad Sanctam illam Societatem instituendam, ubi nulla fuerit: eas insuper Indulgentias promulgent suo tempore Parochi, quæ Apostolica auctoritate Unicuique Christifidelium, (Q) qui diem solemnem Corporis Christi pie celebraverit horisque Canonicis, aliisque

Divi-

I) *Conc. Tr. Sess.* 13-1. 6. *Côc. Lat. sub Joa.* III. *c.* 26. *Conc. Remê. c.* 2. *Conc. Carth. c.* 77. & 78. *Conc. Agat. c.* 15. *C. Præsbiter de côse. dist.* 2

K) *D. Aug. trac.* 26. *in Joan.*

L) *c. Sane de cel. Missæ.*

M] ex Rit. *Ro. de cura Infirm. per totum.*

N] *Dic. et sane in fin.*

O] *Martin.* V. *const.* 12. *ineffabile Sacram.* § 2. *Clem.* XI.

P] *Paulus* V. 3. *Novêb.* 1606.

* *Paulus* III: *Dominus noster ult. Novêb.* 1539. *Urb.* VIII. *Transiturus. an.* 1.

Q] *Eugen.* IV. *const.* 6. *Excellentiã. an.* 3.

Digitized by Google

Divinis rebus per id tempus inter fuerit, concessæ sunt.

§

DE SACRIFICIO MISSÆ.

SANCTISSIMA Eucharistia dupliciter dicitur, uno modo, (a) novę legis Sacramentum cum appellatur, atque ita definitur: ut sit *sensibile signum Corporis, & Sanguinis Christi realiter contenti sub consecratis panis, & vini speciebus*, alio, novæ legis Sacrificium cum nuncupatur, quo non modo Gratiam rite, recteque sumentibus ex opere operato, ut aiunt, impertitur; verum etiam iis maxime prodest, pro quibus Sacrum fit, & offertur. Nos hactenus de Sacramento verba fecimus, reliquum est, ut de Sacrificio sermonem instituamus. Res sane adeo admirabilis, atque illustris est, (b) ut in omnibus divites facti simus in illo: Quem etenim immolatus est Christus in semetipso, quotidie nos immolamus in Sacrificio, & per illa mirifica verba. (c) *Hoc facite in meam commemorationem*, (d) quam semel in Cruce cruenter Redemptionem peregit Salvator Noster, in mortis eius recordatione super Altare incruenter quotidie conficimus. Neque hinc fit, ut alium nunc esse Sacerdotem existimemus, aut duas Hostias, quod illa cruenta fuerit, hæc vero fit incruenta, sed unum, atque eundem in ęternum Christum (e) *secundum ordinem* Melchisedech Sacerdotem per Ministros, qui eius Personam gerunt, (f) unam tantum sui ipsius placentem Hostiam Æterno Patri in odorem suavitatis sacrificare confitemur.

Sacerdotes itaque tanti Sacrificii Ministri, & per Sanctam unctionem Christi vocati, quod Christi vices gerant, attente se colligant, Divinumque Sacrum, quod faciunt, recte æstiment. In primis (g) se in Divinæ Bonitatis tutela collocent, tacitoque animi clamore & sensu se tanto munere indignos fateantur. Illud insuper semper habeant ob oculos mentis: (h) Mundamini qui fertis vasa Domini; ac proinde (i) sine summa interiore cordis munditia, ac pietate, & exteriore Religionis specie Sacrum ne agant: Talari Veste induantur, quę lex in hac Nostra Cathedrali Ecclesia, ceterisque omnibus Civita-

Greg. XV. *const.cum interdū.an.*10. *Clemēti.unic de Reliq.§ex Ministris & seq. & ibi Urba.* IV.

a] *ex Anacl. Th.moral.de Sacr.Mis.dist* 5.*q.* 1.*nu.*1. *& ōn.Theol.*

b] I *Cor.*1.

c] *Matth.* 26.

d) *ex Conc. Trid.Sess.*22. *de Sacr.* Mis. *c.*1.*c.semel* 1.*&* 2.*c.in Christo de consec.dist.*2. C. *Marthe de celeb.*Mis.

e) *psal.*109 *v.*5.

f) *ex Cath.* R. *de Sacrif.* Mis. *n.*76.*&* 77.

g) *ex Syn. Prag.de Mis.*

h) *Isai.*52.

i) *ex. Conc. Trid.loc. cit. de observ. in cel.Mis.c.necesse* I. *q.*1.

Civitatum, & Oppidorum omnino volumus, ut servetur: jam vero ex obedientiæ præcepto [quod etiam pænæ ad arbitrium Nostrum in eos infligendæ, qui minime paruerint, consequentur] prohibemus Sacristis omnibus, ne quem sine talari veste Sacrum facere unquam patiantur. Unusquisque tandem per aliquod temporis spatium prius oret, quam ad Altare accedat; quod ut commodius fiat, locus ad id deligatur, ubi posita sit aliqua Crucifixi imago, tabellaque illa, quæ præparationis tabella dicitur, sit affixa.

Nemo tam audax, scelestusque sit, ut lethalis culpæ conscius prodere Christum audeat; neve non præmissa sacramentali Confessione, vel (K) si non detur Confessarii copia, & necessitas urgeat, non elicito contritionis actu, cum onere quamprimum confitendi, celebrare. In mentem veniat, quisquis tandem ille est nequam Sacerdos, (l) se linteo ipso, sacrisque Vestibus, Majestas cum venerit Judicantis, esse accusandum; *quæ enim maculatum cinxerunt ad Altare accedentem, hæ acrius persequentur in Gehenna gementem.*

Sacerdos aliqua Ecclesiastica censura irretitus (m) e Sacrorum Canonum decreto Sacrum ne celebret, pænas alioqui daturus, quæ ab ipsis intentantur. Porro ne quis celebrare audeat in Ecclesia interdicta, quomodocumque nota, aut polluta, vel Divino cultui (n) non dedicata, aut a Nobis nondum designata, vel visitata: (o) neve in Altari, ubi Nos eadem die sacra fecimus, nisi prius facultatem ad id a Nobis impetraverint; neve in aliis Altaribus eiusdem loci per id tempus, quo sacrum Nos operamur; nunquam vero (p) ante claram diem, vel post meridiem celebretur.

Ornamenta, & instrumenta Altarium pro Missæ celebratione pura, & munda sint, præsertim Corporalia, & Purificatoria: Calices ex metalli genere Jure permisso, eoque, quoad eius fieri poterit, pretiosiore; Cuppa argentea saltem sit, atque intus inaurata: Patenæ, & Calices sint consecrati, Vestesque benedictæ: idem judicium esto de Crucibus, Imaginibus, ceterisque rebus omnibus, quæ ad id pertinere intelligimus: (q) sit mundities, nitorque in Vestibus Sacris, quæ ex Institutione Ecclesiæ, ad varietatem colorum servandam, pro tempore mutari debebunt.

Nemini vero in hac Nostra Diœcesi fas erit (r) ea, quæ Sancto Oleo sunt inungenda, consecrare, quod solum Episcopum facere oportet: Ad vestes Sacerdotales, ceteraque Altaris ornamenta quod attinet, nulli benedicere, nisi per Nos liceat Veruntamen

ius

k] *ex Conc. Trid. Sess. 13. c. 7. & cā. 11. c. Sacerdotes* I. *q. 1. c. Nihil de consecr. dist.* 1

l] *ex Victor. Viten. lib.* 3.

m] *cap. de illis* XI. *q. 3. c. 1. & cap. Clerici de Cleri. excom.*

n] *Conc. Tr. Sess. 22. de observ. in Miss. c. nullus. & c. hic ergo de consec. dist.* 1.

o] *c. in Altari. de consecr. dist.* 1.

p] *Conc. Tr. hoc tit. § Postremo. Pius* V. *cōstit. Sanctiss.* 4 *an.* 1. *Innoc.* XI. 1681. 10. *Oct.*

q] *c. Vestimēta de consecr. dist.* 1. *Miss. Ro. de ritu serv. in celebr. Miss. n* 1. & 2.

r] *c. Aqua. de. consecr. Ecc. vel Alt. § quia licet.*

Digitized by Google

jus esto Regularium Abbatibus suarum tantum (s) Ecclesiarum Vasa consecrare, & Campanas, easque Vestes benedicere, quæ propriis Ecclesiis solummodo inserviant.

Sacerdos, Sacrum dum facit, singula verba distincte, (t) graviterque pronunciet: caveat, ne tardior quam par est, esse videatur, aut festinantior. Servet ritus omnes, (u) ceremonias omnes, quæ quidem eo spectant, ut magis tanti Sacrificij majestas eluceat, rite, recteque conficiat: Rubricis, quæ in Missarum Codice continentur, diligenter pareat: nihil addat (x) iis, quæ ab Ecclesia Romana sunt instituta: quæ altiore sunt voce efferenda, distincte pronunciet: quæ submissiore, secreto: ne usquam offendat, aut in errorem incidat, (y) quod cum in omnibus Missæ partibus grave esset, tum vero maxime in Canone, & Consecratione: nihil memoriter recitet; Sacrum aperto semper capite conficiat: de Altari Vestes, quibus erit induendus, ne capiat: anulum (z) in celebranda Missa ne gestet, quem omnibus, qui nullum dignitatis Ecclesiasticæ gradum obtinent, interdicimus: Jejunus (A) Sacrum faciat, intelligatque, qui hæc omnia minime præstiterit, Divinę indignationi pro rerum gravitate, atque adeo correctioni Nostrę, pront de Jure, esse obnoxium.

Porro singuli, qui recens erunt Sacerdotio initiati, antequam primum Sacrum faciant, vel a Cæremoniarum Magistro huius Nostrę Cathedralis, vel a Parocho instruantur; neve audeant sub pęna suspensionis, nisi alterutrius testimonium Nobis detulerint, & a Nobis ad id facultatem impetraverint, celebrare. Siquem autem Sacerdotem sacrarum Cæremoniarum imperitum Parochi deprehenderint, certiores Nos de hac re faciant, ut opportune tanto incommodo providere possimus.

Sacerdotes Advenæ, vagi, & ignoti ad Sacrum in Ecclesiis Nostræ Diœcesis sine ullo suorum Ordinariorum Testimonio (B) ne admittantur. Porro litteras Testimoniales, quas dicunt, ex iis locis, unde recens venerint, ad Nostram Cancellariam deferant, ut de iis cognoscere possimus, iique a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali ad celebrandum facultatem impetrare teneantur: Iis autem, qui non paruerint, ex (C) Antecessoris Nostri lege, suspensionis pœnam late sententiæ intentamus.

Ad Altaria, (D) quæ in privatis Ædiculis erigi solent, nequis audeat sub pęna suspensionis ad Sacrum peragendum accedere, nisi prius impetrata ad id fuerit a Summo Pontifice facultas, expletæque sint conditiones omnes, quæ statuentur. Ad privata Oratoria vero quod attinet, quibus ex privilegio Apostolico celebratio

s) S.R.C.14 Aug. 1709. Ricci.in praxi for. Eccl. Deci. 519. Sacr.Cong. Con.relata a P. Suarez. de Regular. tom.4. tract. 8.l.2.c.30.n. 2.

t) ex Miss. Ro loc.cit. §

u) ex Conc. Tr.Sess.22.de Sacr.Miss.c. 2.Cath.Rom. hoc.tit.n.81.

x) Pius V. Const. Quo Primum.106 an. 1.

y) ex Conc. Trid.loc.cit. de observ. in Miss.cel.

z) S.C.Rit. 15.Feb.1623 & 20.Nov. 1629.

A) C. ex p. de Cel. Miss. c. Sacramenta. de consec. dist. 1.

B) Concil. Cartha. 3. c. 37.Conc.Tr. Sess. 22 de observ. &c. & Sess. 23. de

Digitized by Google

816

tio Missæ, exceptis solemnioribus Festis, conceditur, (E) in die Nativitatis Dominicę, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, & Nativitatis B.M.Virginis, Sanctorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, Parochialis dedicationis, seu Titularis, fas non erit celebrare. Paschatis, & Pentecostes diem cum dicimus, primam tantum intelligimus.

Attendant omnimode Sacerdotes, (F) ne *Luporum more Sanctissimum Agnum comedant*, (G) neve *avaritia ducti ædificent Sion in sanguinibus*. Quare plura stipendia pro eodem Sacrificio ne quis exigat, neve maiora, quam consuetudo patiatur. Quod si alicuius liberalitate fiat, ut maiora accipiat, Missamque alteri celebrandam committat, ne ullam sibi partem retineat, aut in rem suam deducat; scientes, quod (H) avaritia nec nominari debet in ipsis, & quod *avarus* [*quod est Idolorum servitus*] *non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei*. Quod vero pluribus eleemosynis uno Sacrificio satisfieri non potest, caveant, ne, quotidiano onere qui gravantur, alias eleemosynas (I) recipiant, quæ labem Simoniacam oleant, quæque a turpi quæstu non longe absint; nempe illiberales eleemosynarum exactiones omnino evitentur: secus qui fecerit, pęna suspensionis, aliisque ad arbitrium Nostrum mulctabitur.

Jus Beneficii, aut Altaris sicui concessum fuerit (K) ea conditione, ut ibi Sacrum faciat statis diebus, vel horis, nec vicaria ullius opera uti possit; nisi in morbum deciderit, munus sibi, partesque commissas diligenter exequatur; sin minus, eius diei portiuncula mulctator. Parochos vero obstringimus, ut eorum nomina Nobis deferant, qui non paruerint: tametsi, quotidie sacrum facere qui tenentur, (L) semel in hebdomada cessare, dummodo aliunde non celebrent, facile patimur.

Parochi, & curam Animarum habentes (M) quotidie, si fieri potest, vel saltem quam sæpissime celebrent, ne spirituali esca, cœlestique pabulo Animas sibi commissas ullo unquam tempore fraudent. Diebus vero Festis (N) vel ipsi per se, vel per alios in sua Parochia sacrum faciant: solemnioribus (O) autem diebus Anni, prout & a Prædecessore Nostro statutum fuit, Sacrificium pro Populi bono applicare teneantur.

Ut frequentior Populus Missæ Sacrificio (P) interesse possit, idque eius commodo, fiat, neve aliquis diebus festis absit, circa horam diei tertiam celebranto: ter pulsetur campana, qua Populus convocetur, & aliquod intersit intervallum. In Ecclesiis vero, ubi duę Missę celebrande erunt, inter utramque tantum temporis

de Ref.c. 16. c. Fraternitati de Cleri. non resid. S. Cong. Conc. 29.No.1670
S. Cong. Ep. & Reg. 14. Jan. 1625.
C) *Const.Sy. hoc.tit.n.24.*
D) *c.unicuique.& c.Clericos de cons. dist.1.*
E) *S.C.R. 17. Novem. 1607. Decr.Clem. XI.Nonnulli 15.Decēb. 1703.*
F) *D.Greg. hom. 6. ad Popul.*
G) *Micha 3*
H) *ad Eph. 5.*
I) *Conc.Tr. Sess.22.lo.cit.*
K) *c.significatum de præb. & dignit.*
L) *ex Syn. Aq.Prov.de celeb Mis. Gavant. Enchi. Ep. in verbo Missa. n. 35.*

poris spatium sit, ut redeuntibus domum convocatis ad primam; alii, qui domi remanserint, ad secundam audiendam accedant. Jis autem Sacerdotibus, (Q) & Capellanis, qui in Ecclesiis Parochialibus, præter Parochum celebrant, etiamsi diebus Ferialibus summo mane sacra facere minime prohibemus, tamen ex laudabili Nostrorum Antecessorum instituto, (R) ante Parochialem Missam, non annuente Parocho, ne celebrent, omnino cavemus, alioquin pœnas ad Nostrum arbitrium daturi, qui etiam in Juris subsidium, suspensione a Divinis punientur.

Ne vero a Parochiali Missa audienda Populus avocetur, idem committimus vel iis, qui in Ecclesiis, aut Oratoriis intra fines Parochiæ positis sacrum agunt. Neque enim par est, ut in Messem, aut in possessionem alienam irruant: quapropter ex Altari ad Populum ne verba faciant, neve osculandam pacem exhibeant, neve ulla ratione, invito Parocho, iis, quæ ad jus eius pertinent, sese immisceant: secus qui fecerit, easdem pœnas, quas intentavimus non ita multo ante, Nobis persolvet.

Si festum fuerit duplex, (S) Missæ de requie, aut votivæ ne celebrantor, neque infra Octavam Paschatis, Corporis Christi, Pentecostes, & Epiphaniæ: quibus tamen diebus pro eo qui occubuerit, præsente Cadavere, unam tantum Missam de requie celebrare licebit. Ut religiose Sacri Ritus serventur, (T) nunquam liceat, quod erit ex decreto duplex, in semiduplex, aut simplex commutare: Porro caveant Sacerdotes Sæculares, ne alias Missas recitent (V) præter eas, quæ a Missali Romano descriptæ sunt, ac proinde, quæ Regularibus conceduntur, iis ne concedantur; quod si unquam Missas de Sanctis illis celebrare voluerint, communi, quod dicunt, utantur.

Ubi plures uni Ecclesiæ inserviunt, ut fit in hac Cathedrali Nostra, ad Missæ celebrationem quod attinet, is ordo servetur, qui in Decreto Eminent. Cardinalis Turriani, Sacristiæ affixo, descriptus est: Nos enim iussa, rata, ac firma singula esse volumus, quæ ibi de hac re decernuntur, pœnasque omnes Sacerdotibus, qui non paruerint, eo loco descriptas intentamus. Ad Collegiatas vero Ecclesias, & alias quod pertinet, fixum, ratumque esto, quod eo tempore statuimus, Diœcesim cum perlustravimus. Veruntamen id in primis de hac Nostra Cathedrali cavemus, ne plures simul Missæ celebrentur, ut Populorum commoditati inserviatur; cui rei pro re nata Reverendissimus Archidiaconus providere debebit.

Residere, qui debent, Divinisque laudibus in Choro inser-

M] *Concil. Tr. Sess. 23. de Ref. c.* 14.
N] *Con. Tr. Sess.* 5. *de Ref. c.* 2. & *Sess.* 23 *de Ref. c.* 1.
O] *Constit. Syn. hoc. tit. num.* 20.
P] *C. nocte de consecr. dist.* 1.
Q] *Sacr. Cong. Ep.* 14. *May* 1585.
R] *Constit. Syn. hoc. tit. nu.* 12.
S] *Cong. S. R.* 5. *August.* 1662.
Eadem 27. *Sept.* 1714.
T] *S. C. R.* 23. *Novemb* 1602.
V] *S. C. R.* 19. *Novemb* 1622.

Digitized by Google

vire, regulariter bini tantum ad ſacrum faciendum a Choro recedant: ſecus qui fecerit, arbitretur non reſediſſe, ac proinde nullam diſtributionis, quam dicunt, partem exigat. Id provideat pariter Reverendiſſimus Archidiaconus ex præcepto Sanctæ Obedientiæ, penes quem erit ius cognoſcendi de iis, qui aliquod impedimentum cauſari poterunt, & de neceſſitate ſecus faciendi. Ad Altare maius in Cathedrali hac Noſtra nunquam celebrentur Miſſę privatæ, niſi aliqua legitima cauſſa adſit.

In Eccleſiis Collegiatis, quemadmodum & in Cathedrali, Conventualis Miſſa (x) quotidie celebretur. Quare Curati, dummodo ne gravioribus occupationibus irretiti fuerint, ſacrum facere per ſe ne intermittant. Ubi vero anniverſaria dies recurrat, vel ſacrum agere pro defunctis contingat, alter ex Curatis Conventualem celebret, alter vero Aniverſariam: quod ſi alter ipſorum fuerit impeditus, ſenior Manſionarius Anniverſariam celebret, Curatus vero ſemper Conventualem.

Singulas Miſſas, quæ per ſingulos dies celebrantur, Sacriſtæ (y) perſcribant: quapropter in Sacriſtiis omnibus Miſſarum tabella, ſeu liber ſervetur, atque in primis in hac Noſtra Cathedrali locum ad id delectum Cuſtodes, quam diligentiſſime ſervent, Claveſque apud ſe habeant; qui non paruerit, pœnis ad arbitrium mulctator.

Obſecramus etiam atque etiam hoc loco Parochos, iiſque ex Obedientiæ lege mandamus, (z) ut de neceſſitate audiendi Miſſam ſingulis diebus feſtis, cum ununquemque de Populo, tum vero in primis Patres, Matreſque Familias admoneant; fit enim ſępe, ut Filios, & Famulos, penes quos Beſtiarum cura eſt, a Miſſæ Sacrificio per eos dies abeſſe patiantur. Heu! quid turpius eſſe, aut fieri poteſt, (a) quam ut magis de beſtiis, quam de Filiorum Animabus ſollicitì ſint? Jamvero (b) *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Doceant præterea Populum qua ratione in ſanctuario Dei ſe debeat gerere, qua pietate, ac devotione Sacrificio tam venerabili intereſſe: (c) caveant, ne vanis ſermunculis, obtrectationibus, obſcęniſque verbis locum tam ſacrum polluat; ne ad Eccleſiam arma deferat; ne aliorum animos a pietate avertat; ne huc illuc Animo, oculis, & corpore divagetur; ne turbas excitet, aut crimina quomodocumque patret: (d) *unus enim ſi oret, alter vero ſi maledicat, cuius vocem exaudiet Deus*? Tandem illi ſuadeant, terribilem eſſe locum illum, & aliud ibi non eſſe, niſi domum Dei, & Portam Celi.

x] *ex Rub. Miſ. Ro. novi. S.C.R. 14. Jan. 1603.*

y] *ex Conc. Mediol de iis quæ pert. ad S.M.*

z] *ex Conc. Trid. Seſ. 23. de Ref. c. 14. C. Miſſas. de conſecr. diſt. 1.*

a) *ex D. Jo: Chriſ. ho. 60. in Matth.*

b] *I. ad Thi. mot. 5.*

c] *c. decet. domum Dei. de Immunit. Eccl. in 6. Conc. Trid. Seſ. 22. loc. cit § Item ſaculares. Pius V. in Bulla cum primũ. 1566*

d] *Eccleſ. 31. 29.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS,

&

Clericorum Ordinatione:

INTER varia Regna, & Principatus, quos Divina Sapientia hominibus iam distribuit, nemo dubitare potest, quin Ecclesiastica Hierarchia, quæ e latere Christi Evangelicæ Ecclesiæ nomine est propagata, principem locum obtineat. Huius (*a*) equidem Princeps Deus est, & eius infinita bonitas inexpugnabilis murus: ideo Hierarchia vocata, (*b*) quia Sacer est Principatus; in ipsa enim Christo Duce, Sacri omnia gubernant Cives, (*c*) & spirituales Milites vigilant, non minus ac sint Christi membra (*d*) summa dignitate prędita, qui gubernantur. Et iam vero sicut in Cœlesti illo *Hierarchico* Regno, cuius imago, atque figura nostrum est, variis Angelorum, & Cherubim ordinibus rerum distributio committitur, sic & in hoc Ecclesiastico Ordinibus multis hoc regimen commissum est, quorum munus in primis cum sit summo Regi Christum hostiam vivam offerre, licet plures ordines sint, ad illum tamen omnes referuntur, per quem tam solemne, ac Divinum Sacrificium fit. Porro sicut in amplissimo Salomonis templo (*e*) per plures gradus ad Aram Holocaustorum ascendebatur, ita per septem Ordines velut per gradus quosdam ad summum Domini Nostri Sacerdotium hic pervenitur. Qui quidem Ordo, qui vere (*f*) Sacramentum est, a Christo Domino est institutus tanta cum nobilitate, & dignitate, ut cetera Sacramenta omnia ab eo pendeant, (*g*) & sine illo partim confici, & administrari nullo modo

a] *ex Div. Ambr. super psalm.* 118.
b] *ex Div. Dionys. c.* 1. *de Cœlest. Hierarch. ex D. Tho. p.* 1 *q.* 108. *art.* 1.
c) *ex D. Au. serm.* 20.
d] *D. Greg. in Regist.*
e] *ex lib. Reg.* 3. *Ezech.* 43. 17.
f] *Conc. Tr. Ses.* 23. *c.* 3. *& can.* 2. *&* 3.
g] *ex Cath. Rom. de Sac. Ord. n.* 1.

v20

queant, partim solemni cæremonia, & religioso quodam ritu & cultu carere, videantur.

Quapropter ut Sanctitate, quo ad eius fieri potest, & digniore modo hoc Sacramentum exerceatur, cavemus in primis, ne quis ulla ratione sacræ se militiæ adscribere possit, vel Clericalem vestem induere, nisi prius Nos facultatem ad id ei concesserimus, sub pęnis, ut aiunt, invaliditatis ad quoscunque Ordines suscipiendos: Quam facultatem nemini indulgeri posse statuimus, (h) nisi antea iuratorum Parochorum litteras, per quas morum innocentia, & Natalium honestas probetur, ad Nos detulerit, atque adeo aliquam de se expectationem in studiis excitaverit.

Prima Tonsura qui initiantur, per quam Ecclesiasticam militiam ingrediuntur, atque adeo (i) in Reges a Deo eliguntur, sciant, se ideo in sortem, & hęreditatem Domini adsciści, ut *possideant Dominum, & a Domino possideantur*. Ad hoc enim eorum capita raduntur, (K) ut intelligant temporalia omnia esse deponenda, cum nihil præter Dominum habere debeant; (L) quod etiam corona, qua caput ornantur, & Clerici nomine significatur. Quare Sacri Concilii Tridentini instituta persequentes (m) eum tantum ad Clericarem Tonsuram promoveri posse statuimus, qui septimum ętatis annum transegerit, quique Sacramentum Confirmationis susceperit, Fideique rudimenta doctus fuerit, quique legendi, scribendique artem calleat; eum denique, de quo facile conijcere possimus, nec Sæcularis Juris metu nec ulla fraude, dolove malo inductum, tam præclarum vitæ genus esse instituturum.

Ad tres minores Ordines, Hostiariatum, Lectoratum, & Exorcistatum, (n) nisi qui septimum, ad quartum vero Acolythatum, nisi qui decimum secundum annum compleverit, non admittemus. (o) Ad omnes hos autem promoveri cupientes, de vitę sanctitate, morumque innocentia a Parocho testimonium impetrent, quodquidem iureiurando ratum esto, sigilloque obsignatum: probent etiam (p) se in Urbe Cathedrali, extra Urbem Parochiali Ecclesiæ assidue inservisse; susceptum antea ordinem exercuisse: Clericalem Vestem, Tonsuramque semper detulisse; & Christianæ Catechesis exercitationibus interfuisse. Porro de studiis, ac diligentia, progressuque in litteris ab eorum Magistris certiores fieri volumus: quæ singula (q) ad Nos, vel ad Vicarium Nostrum, simul ac tempus ordinationis statuerimus, deferantur: secus qui fecerit, ab examinibus reiiciatur.

Nemo præterea ad Minores ordines promovebitur, qui saltem latinam

h] *ex Conc. Trid. Sess. 23. de Ref. c. 4.*

i] *ex Cath. Rom. loc. cit. n. 14.*

K] *D. Hier. ep. ad Nep.*

l] *c. duo sũt & c. Clericus XII q. 1.*

m] *Sess. 23. de Ref. c. 4. c. Final. de temp. Ordin. in 6.*

n] *c. de iis. 28. dist. in Glos. C. in singulis 77. dist. & ibi in Glos.*

o] *Conc. Tr. loc. cit. c. 5.*

p] *Concil. Trid. loc. cit. c. 16.*

q] *nullus ordinetur. & c quãdo dist. 24. c. illiteratos dist. 36*

r] *Concil. Trid. loc. cit. c. 11. c. qui Ecclesiasticis dist. 59.*

Digitized by Google

latinam linguam (r) non intelligat, calleatque omnia, quæ ad ordinem spectant, quem petierit. In spem insuper Nos inducat maioris doctrinæ ad Sacros Ordines suscipiendos, ut quo magis ascendit, magis etiam vitæ sanctitate, ac scientia proficiat. Porro, nisi elapso anno ipso a susceptione Acolythatus, ad Sacros Ordines ne quis accedat, (s) nisi vel Ecclesiæ utilitas, vel necessitas Nobis probanda, & admittenda aliud exigat.

Qui subdiaconatum desiderant, Deo omnino se offerunt, quippe qui prius de Mundo erant, eo suscepto, amplius resilire non possunt: itaque (t) vigesimum secundum ætatis annum qui non attigerint, illum ne petant; & præter illa testimonia, quæ ad Minores Ordines necessaria esse diximus, sint a propriis Parochis, & a Magistris commendati ob morum gravitatem, atque industriam in iis rebus omnibus, quæ ad hunc Ordinem pertinere videntur; in primis vero ob spem Continentiæ, (u) quam Deo polliceri, ac perpetuam præstare tenentur.

Mandamus insuper iis omnibus, qui ad Subdiaconatum adspirant, ut nomen cognomenque Parochis deferant, inter Missarum Solemnia per tres dies Festos Populo promulgandum. Præterea Populum moneant Parochi, ut si contra ipsos, aut in ipsis aliquod canonicum impedimentum extare intelligat, fideliter deferat, cuius rei testimonium quisque ostendat iureiurando firmatum, priusquam ad ordinationem accedat.

Porro cum minime liceat (x) Dei Ministro aut quæstuari, aut sordidas, vilesque artes exercere, vel Mercaturam instituere, fit hinc, ut nemo ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem admittatur, nisi prius titulum Patrimonii, vel Beneficii, vel Pensionis Nobis ostenderit, quo honeste vitam transigere possit.

Titulus Patrimonii eiusmodi sit, (y) ut nullo unquam tempore de possessione Clericus iure possit deturbari. Quadraginta Ducatorum Venetorum fructus ex sorte exigatur; qua de re certiores Nos ex Possessoriis Actis fieri volumus. Bona oportet, ut sint propria donantis, & Assignantis; Nec Fideicomisso, dote aliisque Hypotecis impedita. Ostendat præterea realem, & veram fuisse donationem, neque inter donantem, & Clericum aliquod retrocessionis pactum, fictionis, aut fraudis conditionem aliquam interfuisse. Sit insuper Clericus in reali, & corporali possessione Tituli, antequam ad Ordinationem accedat, & Patrimonium per tres dies festos inter Missarum solemnia publicetur: quod si aliquis intercesserit, dolusve malus detegatur, statim Nos de ea re Parochi admonere debebunt.

s] *Conc. Trid. c. 11. in fine.*

t] *Conc. Tr. loc cit. c. 12. c. a multis. de ætate. & qualit. ordin.*

u] *Dist. 28. c. 8. dic. c. a multis. § & iterum. C ut Clericum de vit. & hon. Cler. § præsertim.*

x] *Conc. Tri Ses. 21. de Ref. c. 2. C. Sanctorū. Dist. 70. c. ac. cepimus de ætat. & qualit. Ordin. C. cum secundū & c. tuis de præbendis.*

y] *Concil. Trid. loc. cit.*

Idem

Idem iudicium esto de titulo Beneficii, & Pensionis, ut ex accepto, & expenso Quadraginta Ducatorum fructus saltem supersit, & sine lite, aut contentione realiter, & pacifice possideatur: Beneficium vero (z) resignare, vel Pensionem extinguere ne liceat, nisi prius Clericus ostenderit, se ad eius titulum fuisse promotum; neque Resignatio admittatur, nisi prius Clericus demonstraverit, ut aliunde commode vivere possit; Si autem, (A) qui Fictitiis Patrimoniis Subdiaconatum susceperint, quique Patrimonia vendere, cedere, hypothecare, aut quomodocumque distrahere audebunt, nisi unde vivant ex fructibus Ecclesiasticis habuerint, & a Nobis ad id facultatem impetraverint, a Divinis ipso facto sint suspensi.

Ad Diaconatus Ordinem neminem promovendum decernimus, qui vigesimum tertium ætatis annum (B) non attigerit, & nisi (C) secus facere Nobis videbitur, qui per Annum saltem in Subdiaconatu non fuerit: Cumque Diaconi munus sit collaborare Evangelio secundum virtutem Dei; habens *mysterium Fidei in conscientia pura*, puriores mores, graviorem vitam, maioremque scientiam in ipso desideramus; quare præter ea, quę dicta sunt, testimonia quoque deferre debebunt ii, qui hunc ordinem desiderabunt, unde illa, quę ad eorum ministerium pertinent, eos optime intelligere cognoscamus: sin minus Ordinationibus prohibebuntur.

Eos vero, qui ad Pręsbyteratum promoveri volunt, ętatis annum (D) vigesimum quintum inceptum agere oportet. Cum (E) autem per hunc Ordinem Dei veri cultui, Divina auctoritate firmiter deputentur, & in Petra exaltati, idest in Christo tam sublimi dignitate fruantur, ut per eorum gressus, (F) tanquam Aaron, audiri debeat a populo disciplinæ, & virtutum (G) sonitus, ut non moriatur; nunquam digni erunt, qui ad tam sublimem honoris gradum efferantur, nisi prius effecerint, ut intelligamus, eos tantum pręstare inter ceteros virtutibus, animique ornamentis, quantum honore præstant, & dignitate. Porro cum secum quisque reputare debeat, quæ quantaque sit dignitas, honorisque amplitudo, ad quem trahitur, nemo sane per Nos in Præsbyterorum numerum cooptabitur, nisi qui ante singula, quæ ad Sacerdotium pertinent, altius inspexerit, quæque ad Sacrificium Missæ rite recteque faciendum requiruntur, plane dignoverint. Jam vero annum ipsum (H) in Diaconatu ut quisque transigat, antequam ad Sacerdotium accedat, nisi aliud aut necessitas postulet, aut Ecclesiæ utilitas, Jura decernunt.

z] *Conc. Tr. loc. cit. di c. tuis de præb.*

A] *C. siquis de Simonia. c. 1. & 2. dist. 70.* *Cong. Conc. 21. Dub. 1615*

B] *Conc. Tr. Sess. 23. de Ref. c. 12.*

C] *Conc. Tr. d. c. 12. c. litteras. & c. dilectus de temp Ordin.*

D] *Côc. Tr. dic. Sess. 23. lo. cit. c. 12.*

E] *ex Tolet. instru. Sacerd. l. 1. c. 1.*

F] *ad Heb. 5. v. 5.*

G] *Exod. c. 28. lit. F.*

H] *Concil. Trid. loc. cit. c. 14.*

Tandem ab omnibus Ordinibus tam minoribus, quam Sacris omnes illos reiicimus (I) qui aliquo vel culpæ, vel defectus impedimento irretiti (vitiosum enim nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta ſanxerunt) ſingulos Ordines gradatim non ſuſceperint. Quod ſi quis (K) per fraudem, aut per ſaltum, ut dicunt, irrepſerit, non ſuſpenſione modo, quam ipſo facto incurret, verum etiam graviſſimis arbitrio Noſtro pœnis acriter punietur.

I) ex Pontif. Rom. de Ord. Confer. dic. c. illiteratos. § & vitiosū diſt. 26.

K) c. 1. 2. & 3. de eo qui furt. Ordin. ſuſcep. c. unico de Cleric. Ordi. per ſal. tum.

Illi vero, quos de rebus hiſce omnibus oportet dicere teſtimonium, ſummopere caveant, ne litteras teſtimoniales, quas dicunt, Nobis dent, niſi ſigillo obſignatas, firmatas iureiurando, atque adeo eiuſmodi, ut de Clericorum qualitate per illas certiores Nos faciant. In mentem veniant, ſe reddituros eſſe Deo Omnipotenti, cum abſcondita revelabit; non modo rationem de re hac, verum etiam de fraude, qua Nos deceperunt. Fit hinc, ut, ex Conſtitutionibus, legibuſque alias (L) perlatis Clericos omnes ab examinibus, & Ordinationibus reiiciamus, qui vel litteras privatorum hominum commendatitias afferent, vel per ambitum ad Ordines ſe promoveri contendant; qui enim alieno ſubſidio indigent, titubare videntur.

L) Litt. Paſtor. Noſtra. d gnum 1711 21. Novēb.

Qui litteras dimiſſoriales a Nobis impetrabunt, quas tamen tam facile non concedemus nec ob ambitum, nec ob commendationem, ſed tunc tantum, cum legitimam cauſam præſeferent, prius coram Nobis examinandi veniant; Nos enim oportet (M) de operariis Noſtris per examen cognoſcere, prædictis conditionibus adimpletis: Quod ſi vel gravioribus curis impediti, vel adeo remoti ſint, ut ſine maximo incommodo ad Nos minime accedere poſſint, Nos de impedimento certiores faciant, ut, qui Nobis magis apti videbuntur, de illis iudicent. Poſt ſuſceptum autem Ordinem infra Menſem teſtimoniales Ordinationis vel per ſe, vel per alium Nobis præſentare teneantur. Qui, dimiſſorialibus a Nobis non impetratis, (N) ab alio Epiſcopo ordinari præſumpſerit, ſuſcepti Ordinis Miniſterio, quandiu Nobis videbitur, ſit ſuſpenſus.

M) Concil. Trid. dic. Seſ. 23. loc. cit. c. 3. & c. 6. Conc. Carth. 3. c. 21.

N) Concil. Trid. loc. cit. c. 8. conſt. Inn. XII. Speculatores anno 1694.

Nos contra Clericos alienæ Diœceſis nullo unquam tempore (O) ſine litteris dimiſſorialibus ab eorum Epiſcopis Nobis datis, ad Ordines admittemus. Porro de honeſtate Natalium, de ætate, de morum innocentia, deque doctrina, ac titulo per eas certiores Nos faciant, dictaſque litteras in Noſtra Cancellaria ſervandas exhibeant: qui ſi infra tertium ab impetratis dimiſſorialibus Menſem minime acceſſerint (dummodo ne per illas certum aliquod temporis ſpatium conſtitutum ſit) eos, eorumque litteras reiicimus

O) Concil. Trid. dic. c. 8. d. Conſt. Inno. XII. c. 1 & omn. ſeq. diſt. 71.

Digitized by Google

87.11

P] *Concil. Trid. Sess. 23. de Ref. c. 9. C. cum nullus de temp. Ordin. in 6.*

iciemus: Quod si domicilium in hac Nostra Diœcesi per decennium ipsum habuerint, vel, ut aiunt, animo permanendi, quod quidem certa Nobis erit coniectura perspiciendum, huc transtulerint; vel ex (P) Domesticis Nostris, intimisque Familiaribus per triennium fuerint, atque adeo omnia præstiterint, quæ iure requiruntur, tum demum licebit, ut per Nos ad Ordines admittantur.

Q] *Concil. Trid. loc. cit. c. 10. Sac. Cong. C. 15. Mart. 1595. Pius V. Constit. Romanus Pontifex 1568.*

Regulares vero suorum superiorum litteras de ætate, de vitæ, & morum integritate, de Litterarum peritia, deque ceteris omnibus, quæ requiruntur, Commendatitias afferant. (Q) Nobis tamen, vel Vicario Nostro Generali prius erit de eorum scientia per examen cognoscendum; unde fit, ut eorum superiores etiam atque etiam rogemus, ut caveant quammaxime, ne ad Nos eos ordinandos mittant, quos necesse sit, ut ab Ordinationibus arceamus.

CAPUT

CAPUT XIV.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

INFIRMATUR *quis ex Vobis?* (a) inquit Iacobus Apostolus, *inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & Oratio Fidei salvabit Infirmum, & allevabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, remittuntur ei.* (b) Quæ quidem saluberrima Unctio ideo Extrema appellatur, quod sit omnium sacrarum Unctionum, quas Dominus Noster instituit, ultima, quæ administretur. Ea vero duæ continentur Unctiones (c) altera, quę materialis est, & visibilis, qua Corpus, altera vero invisibilis, qua cor, ideft Animus ungitur. Illa huius signum est, quam non modo signum, verum etiam Sacramentum esse confitemur, quod, si digne sumatur, agit, & auget id, quod designat. *Unctio enim* (d) *invisibilis Spiritus Sanctus est*, qui semper datur ad robur, & ad augmentum; *Unctio invisibilis Charitas est, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit, quæ quamvis ardente Sole arescere non potest, nutritur calore Solis, non arescit.* Iam vero admirabile hoc Sacramentum Unctionis ad hoc (e) per Domini Nostri misericordiam institutum est, (f) ut, si qua supersunt purganda delicta, aut peccatorum reliquiæ, omnino abstergantur, & Ægroti Animi non roboretur modo, sed recreetur etiam; cum enim magnam Infirmo spem faciat, adducatque, ut quammaxime Divinæ Misericordiæ confidat, fit, ut morbi incommoda æquiore animo ferat, insidias Diaboli facilius effugiat, ac pristinam corporis valetudinem, ac sanitatem, ubi Animæ expedierit, interdum recipiat.

Caveant itaque Parochi, quorum fidei, & charitati Oves Christi commissæ sunt, ne Infirmis hoc saluberrimum remedium denegent; neve (g) per inertiam atque desidiam eos decedere sine hac saluberrima Unctione patiantur. Prompte igitur ac diligenter eos (h) hac indu-

a] Jacob. 5. 11.
b] ex Cath. R. hoc. tit. n. 2.
c] C. cum venisset. de Sac. Unctio. § scire. & ibi in Glos. & §. unctio.
d] D. Aug. sup. Ep. 1. Jo. tract. 3. relatus in c. unct. d. pœnit. dist. 2.
e] Conc. Tr. de Sac. Extr. Unct. Ses. 14 can. 1.
f] d. Conc. Tr. ibi c. 1. & 2.
C. Presbyteros dist. 9. § sed istud. in Glos. in verb sanctificatur. c. illud ibi. argum. ex c. 1 2. de consecr. dist. 1.
g] Conc. Tr. loc cit. c. 1. Cath R. hoc tit. n. 15.
h) ad Eph. 6.

indu-

Digitized by Google

induant armatura Fidei, ut possint *stare adversus insidias Diaboli*. Quod si vel id omiserint, vel neglexerint, gravissimas & Nobis, & Christo Iudici pœnas dabunt: Qamvis enim Sacramentum hoc (*i*) ad salutem minime sit necessarium, eiusmodi tamen est, ut plura per illud ad salutem adiumenta conferantur. *Væ Pastoribus Israel*, (K) si quod infirmum fuit, non consolidarunt, quod ægrotum, non sanarunt, & quod perierat, non quæsierunt; (l) *nulla erit eorum excusatio, si lupus, ipsis scientibus, Oves comedet*.

i] *Scot.4.d. VII. q. 2. & omnes Theol*

h] *ex Ezechi. 34. v.4.*

l] *ad Greg. in Regist.*

m] *1.Petr. 5.*

Jam vero (*m*) non coacte, sed spontanee secundum Deum providentes eum invisant, quem in morbum incidisse intellexerint; quem si sola valetudine Corporis solicitum fieri cognoverint, Animæ negotium, quod omnium maximum est, atque adeo periculum ipsum ei statim ob oculos ponant. Inducant insuper, ubi is in aliquo erit vitę discrimine, ut ad suscipienda Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis Sacramenta se præparet: eorum interea (*n*) vim, & effectus, rationemque demonstrent, Fidei, speique, & quod caput est, charitatis armatura Infirmum induant, & in Nomine Domini Sacram Unctionem ministrent; eos, qui adsunt, omnino rogantes, ut interim Orationibus, & Psalmis Infirmo placatum, quoad eius fieri potest, Deum reddant.

n] *ex Cath. Rom. loc.cit. num. 7.*

In huius Sacramenti administratione tam in Sacræ Unctionis forma, quam in Corporis ungendis partibus, omnes ritus servent, & cæremonias, quæ in Rituali Romano continentur, sique fieri potest, præmissis semper Pænitentiæ, & Eucharistię Sacramentis; quę tamen si ob repentinum aliquem casum dari non possint, (*o*) etiam sine ipsis, dummodo de contritione, de vita, moribusque morientis hominis certiores sint, ei Sacramentum Extremæ Unctionis solicite conferant.

o] *Bonac.de Sac.Extrem. Unct. disput. unic.punct.4. nu. 15. Layman. de Extre.Unct. c. 4. n. 3. & com.*

Sacramenti Extremæ Unctionis subiectum est solus homo (*p*) Baptizatus, rationis compos, & in vitæ discrimine constitutus; ita ut probabiliter mors immineat; unde & *Sacramentum exeuntium* vocatum est. Quare caveant Parochi, ne illud sanis adhibeant, neque Infirmis, qui in vitę periculo minime sunt: Iis adhibeatur, qui interiore aliqua ex caussa, nempe ex veneno, ex vulnere periclitantur, contra vero qui ex violenta exteriore, ut qui morte damnantur, qui difficilem navigationem suscipiunt, quique prælium sunt commissuri, aliisque id genus, cum iuxta Apostoli præceptum Infirmi minime sint, omnino denegent. (*q*) Infantibus vero, id ætatis qui erunt, ut Sacramenta recipere possint, senibusque, qui deficientibus viribus ad mortem naturaliter properant, licet nullo morbo laborent, non est ulla ratione de-

p] *ex Conc. Tr.loc.cit.c. 3.Cath Rom. loc.cit.n.9.et seq.*

q] *Scot. 4. dist. 23. § de secunda. D.Thom.in 4.dist.XXIII. q. 2.art. 2.*

Digitized by Google

ne denegandum hoc Sacramentum, senectus enim ipsa est morbus.

Amentibus, & furiosis, (*r*) nisi interdum rationis usum habeant, & utcummaxime pietatis aliquam significationem dent, velintque sacro Oleo inungi, ne ministretur. Iis autem, qui ex morbo in phrenesim inciderunt, dummodo sana mente cum essent, petierint, (*s*) quod, nisi de contrario, ut aiunt, constet, debet præsumi, ne denegetur. Contra vero contumacibus, & in manifesto peccato morientibus, Excommunicatis etiam, & Interdictis, qui absolutionem nondum impetrarunt, omnino ne ministretur.

Quamvis vero iis tantum hoc Sacramentum Ministrari debeat, qui in vitæ discrimine versantur, eousque tamen non est cunctandum, dum (*t*) Infirmus sensibus careat: integros enim adhuc sensus si habeat, vigeatque in eo mens ad uberiores fructus gratiæ inde percipiendos, alacrius sese, atque facilius parare potest. Si (*u*) eo tempore, cum Sacramentum recipit, sensus amittat, pergendum est; si vero decedat cessandum. Dubium autem si fuerit utrum vivat necne, ea conditione, *si vivis* Sacramentum est conferendum, usque dum certior fiat.

Infirmo (*x*) eodem morbo laboranti semel tantum extremæ Unctionis Sacramentum ministrator; qui si convaluerit, atque iterum in morbum inciderit, ut vita periclitetur, licebit denuo huius in eum Sacramenti adiumenta conferre.

Solus Parochus. (*y*) qui Iurisdictionem habeat, vel alter Sacerdos, cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, Sacramenti Extremæ Unctionis minister esto. Sacerdotes autem curam Animarum non exercentes, qui, vel inscio, vel invito Parocho, illud ausi fuerint administrare, suspensione a Divinis ipso facto puniantur: Quod Regulares si fecerint, & Sæcularibus administraverint, pęnas dabunt, (*z*) quę Sacris constitutionibus intentantur.

Cum vero Redempti Gregis salus Pastorum fidei commissa sit, utcummaxime strenue laborare oportet illo temporis puncto, a quo pendet eternitas: (A) ***si enim ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*** Quare Parochos, eosque omnes, qui Animas Deo tradere debent per viscera Jesu Christi enixe rogamus, ne, confecto Sacræ Unctionis Sacramento, Infirmos miserum deserant, sed eis eousque præsto sint, dum lethali agone vexantur, Paternaque Charitate ducti, Animas illas, quæ totum Jesu Christi Sanguinem valent, Orationibus, consiliis, & monitis pergant adiuvare. Quod si omi-

r] *Cath. R. loc. cit. § nemini. in fine.*

s] *Lay. c. 5. n. 3. & com. Theol.*

t] *ex Cath. Rom. loc. cit. n. 9. in verba cum igitur. Barbosa. de off. Paroch. n. 19. c. 12. Lay. & alii com.*

u] *ex Rit. Rom. de ord. minist. Sacr. extr. Unct. § ve o & § dū oculos.*

x] *ex Cath. Rom. loco cit n. 11. & ibi D. Thom. loc. cit. & insup. q. 33. art. 7. Conc. Trid. loc. cit. c. 3. in verb. quod si.*

y] *ex Conc. Trid. dict. c. 3. Cath. Ro. loc. cit. n. 13. c. Præsbyteros. & c. illud dist. 95.*

z] *vide Clementina 1. de privileg. § 1. in pricip.*

A] *Eccles. 21. v. 3.*

ferint, non modo sanguis ille clamabit adversus eos, Christoque Domino, qui omnium mortem sua morte redemit, pœnas dabunt, quod eorum culpa hominis Anima perdatur, verum dabunt, & Nobis, culpam cum deprehenderimus, omnium gravissimas.

CAPUT XV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

a] *ex Gen.* 2. 23.
b) *c. fraternitatis* 25. *q.* 10.
c *ad Eph.* 5
d]*ex Cath. R. de Sac. M. n.* 15.
e) *ex Conc. Trid. Sess.* 24. *de doctr: Sac. Matr. & c.* 1. & 2.
f] *C. siquis* 23 *q.* 7 *& ibi in Glos Tit de Spõ. duorũ per totum.*
g) *loc. cit. § ult. in fin.*
h] *Cath. R. loc. cit. n.* 31.
i] C. *omne* 27. *q.* 1. *c. sicut* 32. *q.* 2.

ARCTISSIMUM Matrimonii vinculum iam tum a Mundi exordio (*a*) natura, atque adeo hominibus a Deo ipso iniectum, illustre adeo, ac splendidum (*b*) tunc extitit, cum a Christo Domino in Sacramentorum numero positum fuit, ut inter res sanctissimas, quas in terris suspicimus, & veneramur, locum obtineat. Iure igitur & merito (c) *Magnum Sacramentum* ab Apostolo appellatur, quippe quod (d) coniunctionem Christi cum Ecclesia exprimit, & repræsentat; (*e*) cui Christus ipse Venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfe⸗or sua passione promeruit gratiam, quæ naturalem amorem perficeret, indissolubilem (*f*) duorum unitatem confirmaret, Coniugesque sanctificaret. Quod cum in lege Evangelica Universalis Sanctorum Patrum sententia, & nunquam intermissa Ecclesiæ traditio docuerunt, tum vero maxime Tridentina Synodus demonstravit, (*g*) quascunque Schismaticorum, & impiorum hominum hæreses, erroresque damnando, qui non sine magna Christifidelium iactura, ac offensione, multa in speciem Evangelicæ religionis, libertatem carnis inducere, & scriptis, verbisque asserere non timuerunt.

Id secum attente Parochi cum reputaverint, intelligent profecto, quam sibi sedulo Populi monendi sint, ut ad hoc Sacramentum accedant, non quasi rem humanam, sed (h) ut omnino Divinam

Digitized by Google

nam pertractaturi: videbunt insuper, quam diligenter (i) Matrimonii vim, onera, & bona eis sunt explananda; in primis vero admonendi contrahentes per susceptionem Matrimonii verum, & proprium Sacramentum recipi, adeoque nisi in gratia suscipiatur, Sacrilegium committi. Quapropter omnia hæc ne negligant, efficiantque præcipue, ut omnes Sacramentis Pænitentiæ, & Eucharistiæ semper se muniant, quando de præsenti illud contrahere intendunt; & illos tandem edoceant, ut iuxta Propheticum monitum (K) sponsent sibi alterutrum *in Iustitia, in Iudicio, & in misericordia*, in quibus perseverare studeant, (l) diligentes se ad invicem, sicut Sponsam suam diligit Christus.

Cum autem præcipua vis Matrimonii in contrahentium (m) consensu sita sit, qui si solus forte defuerit, cetera omnia, quæ ante acta sunt, irrita erunt, antequam Matrimoniis assistant, Parochi diligenter contrahentes, & separatim interrogent, an libero (n) consensu, an vero per vim, vel aliqua alia de caussa inducti præter liberam voluntatem contrahant: talis enim (o) consensus ad validitatem Matrimonii non sufficit, imo sic contractum ipso iure redditur nullum, nisi libere ratum fiat, quia locum non habet consensus, ubi metus, vel coactio intercedit. Videant quoque, an contrahentes consensum habeant Parentum, qui (p) licet de essentia Matrimonii non sit, par esse tamen videtur, ut ob reverentiam Parentibus debitam, quos secundum Deum proxime revereri debemus, ab iis ad Matrimonium consensus, & facultas impetretur.

Quæcunque Matrimonia, postquam consensum contrahentium examinaverint, antequam de præsenti contrahantur, Parochi (q) tribus diebus festis inter Missarum solemnia publice denuncient competenti termino inter ipsos definito, quo qui voluerit, & valuerit legitima opponat impedimenta. Ipsi quoque interea Parochi ne cessent inquirere, utrum aliquod impedimentum inferri possit, qui si nihil eiusmodi reperient, ad celebrationem in faciem Ecclesiæ procedant; qua (r) Viro, & Muliere diligenter interrogatis de mutuo consensu, duobus, vel tribus adhibitis Testibus Sacramentum conficiant, formamque ab Ecclesia statutam omnino servent. Quod si aliquod impedimentum inferetur, nullo modo eos contrahere patiantur, & de illo certiores Nos faciant, ut pro re nata providere possimus. Si vero agnoverint impedimentum aliquod (s) post celebratum Matrimonium de præsenti, cum latens sit, ad Nos deferant; atque adeo usque eo dum aliquid consilii ceperimus, seiungant Coniuges etiam post consummatum Matrimonium; id vero si ante consummatum Matrimonium acciderit, ad convivendum facultatem

K] *ex Ose. 2. v. 19.*
l] *ex Eph. 5*
m] *c. 1. & c. veniens. et c. cum adhuc & c. dilectus & c. tua nos & seqq. de Sponsf. & M.*
n] *C. sufficiat. 27. q. 2.*
o] *Sanch. l. 4. disp. 12. c. cum locum de Sponsf. & Matr.*
p] *Conc. Tr. Sess. 24. de Ref. Matr. c. 1. dic. c. sufficiat. in Glos. c. non omnis & capit. honorantur. & c. hoc Sācīn. 27. q. 2.*
q] *Conc. Tr. loc. cit. c. inhibitio de Clādest. de Sposf.*
r] *Conc. Tr. loc. cit. § qui aliter. c. videtur 34. q. 6*
s] *Vide Anacl. de dispē. Imped. disp. 15 q. 5 n. 169 & seq. & ibi cit. Ana.*

820

facultatem ne indulgeant. Cum vero occultum impedimentum deprehendatur per Confessionem, ambo si coniuges illud noverint, intelligant eos non licere sine gravi culpa debitum petere, aut reddere, usque eo dum obtineantur necessariæ dispensationes, quas eorum nominibus parcentes tacite Parochi impetrabunt: si vero Coniugum alteruter eiusmodi noscat impedimentum, usque eo dum dispensationes pari modo impetratas habuerit, petere debitum prohibeatur.

Impedimenta autem Matrimonii dirimentia hæc sunt. (t) *Error* Personæ, seu Qualitatis, quando Qualitas apponitur per modum conditionis, vel transit in errorem Personæ. (u) *Conditio* omnis contra substantiam Matrimonii posita. (x) *Votum* castitatis solemne. (y) Cognatio tum carnalis, tum spiritualis, tum legalis inter gradus a Jure prohibitos. (z) *Crimen* scilicet machinatio in mortem Coniugis, & adulterium cum promissione futuri Matrimonii. (A) *Disparitas cultus*, scilicet in Fide. (B) *Vis* inducens aliquem violenter ad contrahendum. (C) *Ordo* quicumque Sacer. (D) *ligamen* alterius Matrimonii. (E) *Publica honestas*, quæ provenit ex Sponsalibus valide contractis, & non consummatis cum Coniugis consanguinea in primo gradu. (F) *Affinitas*, quæ oritur ex quacumque cohabitatione cum Coniugis consanguinea; quæ cohabitatio si licita sit, quartum gradum respicit, si illicita non transit secundum. (G) *Impotentia* tandem accidentaliter, vel naturaliter ad cohabitandum, quod erit ex Canonum præscripto probandum. Iis per Concilium Tridentinum (H) raptus additus fuit, usque eo dum sit rapta in potestate Raptoris, & reformatum (I) circa Cognationem spiritualem. Impedimenta autem impedientia per hæc tempora usu recepta hæc sunt. (K) *Tempus feriarum* ab Ecclesia statutum. (L) *Mandatum*, idest Episcopi vetitum. (M) *Votum* castitatis simplex. (N) *Sponsalia* cum alia contracta; quæ singula videre est apud Canonistas, & Morales Scriptores. De iis vero impedimentis omnibus si Parochis aliquod dubium, vel difficultas oriatur, a Nobis consilium capere teneantur.

Denunciationes autem vel ipsarum aliquam (O) si Nobis id expedire videbitur, remittemus, cognitis tamen caussis, & omnibus iis adimpletis, quæ a Sacris Constitutionibus (P) circa Testium examina præscribuntur. Quare dispensationes desiderantes Parochos certiores faciant, qui cognitis caussis eas Nobis, vel Vicario Nostro Generali significare, & remissionem hanc petere teneantur, Veruntamen ne ita facile ad contrahentium arbitrium eiusmodi

t) *c.2. & c. fin. de Coniug Servor.*

u) *tit. de condi. oppo.*

x) *C. meminimus. Qui Cler. vel Monach. Matri. cötr. & c. un. de voto in 6.*

y) *c. de Cōsanguinitate. & c. nullum. & c. Progeniē* XXXV. *q. 3. Conc. Tr. Sess. 24. de Ref. Matri. c. 2.*

z) *c. si quis vivente. 31. q. 1. & c. significasti. de eo, qui duxit &c.*

A) *c. cave. & c. nō oportet 28. q. 1.*

B) *c. Dilectus de iis, quæ vi &c. & c cum veniens & c. cū locū de spōs. & Matr.*

C) *Præsbyteris dist. 27. Conc. Trid. loc. cit. can. 3*

D) *c. licet de sponsa duorū.*

iusmodi

eiusmodi petant dispensationes, sed caussas recte perpendant, & in hoc prudenter pro rerum necessitate se gerant.

Nunquam eodem publicationis die Matrimonio Parochi assistant, aut testimonium publicationum relaxent sed saltem ad tertium differant; ubi autem per eos secus fieri contigerit, in eadem ultima publicatione hoc Populis significetur: quod etiam erit cum iis servandum, quibus denunciationem aliquam remittemus. Bimestri autem post ultimam publicationem transacto, Matrimonio assistere, nisi de licentia Nostra non liceat. Quando publicationes (Q) in diversis Parochiis fieri debebunt, Parochus Sponsæ nullo modo Matrimonio assistat, nisi ab altero per Testimoniales litteras de denunciationibus certior fiat. Horum aliquid qui neglexerit pœnis ad Nostrum arbitrium mulctabitur.

Qui nisi præsente Parocho, vel alio Sacerdote, cuius opera vicaria Parochus utatur, vel de licentia Nostra; & duobus, vel tribus Testibus non adhibitis Matrimonium de præsenti contrahere tentabunt, eorum contractum (R) nullum atque omnino irritum esse declaramus: siquis vero in cuius Cura Contrahentes minime sint, non impetrata ad id facultate, assistere audebit, non modo pœna suspensionis ipso facto incurrenda, verum etiam aliis ad arbitrium Nostrum punietur. Ubi vero vel de licentia Nostra, vel ex Parochi nutu alicui Matrimonio assistere contigerit, qui munus sibi commissum peregerit, Parochum Contrahentium de die, de loco, de nominibus, ut singula signari possint, certiorem faciat.

Tametsi dubitandum non sit, quin (S) Claudestina Matrimonia libero Contrahentium consensu facta rata, & vera tandiu fuerint, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, nihilominus sancta Dei Ecclesia gravissimis de caussis illa semper detestata est, & prohibuit. Quare Nos eius vestigia sectantes illa ab hac Nostra Diœcesi omnino amandanda esse censemus. Parochi, & Sacerdotes omnes, qui quandocunque Matrimoniis assistere, sine iusta necessitate audebunt non præmissis supradictis publicationibus, vel Testibus, aliisque a Sacra Synodo impositis conditionibus, (T) præter triennalem suspensionem a Divinis ipso facto incurrendam, gravissimas pœnas ad Nostrum arbitrium, ut culpę qualitas postulaverit, Nobis dabunt. (V) Clandestine autem contrahentibus, vel inficiem Parochi non factis publicationibus per fraudem contrahere præsumentibus, pręter invaliditatem contractus, Censuras Ecclesiasticas a Jure constitutas, severasque pœnas (quippe qui etiam Curiæ Sæculari, si opus fuerit tradentur, & deferentur) intentamus.

Porro (X) Matrimonia de præsenti semper in Ecclesiis, nun-

E) *Concil. Trid. loc. cit. c. 3.*
F) *c. nō debet. de Affin. & consāgui. & c. 4. ibi*
G) *c. ex litteris. & cap. Fraternitatis. de frigidis, & malef*
H) *loc. cit. c. 6. c. finali de Raptoribus.*
I) *Conc. Tr. loc. cit. c. 2.*
K) *Cōc. Tr. loc. cit. c. 10.*
L) *c. 1. & 2 de Matr. contract. contra interdict. Eccles.*
M) *c. unicō de voto in 6.*
N) *c. sicut. desponsal. & Matr.*
O) *Concil. Trid. loc. cit. c. 1. § nisi*
P) *S. C. Inquis. 3. Octo. 1669.*
Q) *Rit. R. de Sac. Matr § si vero.*
R) *Cōc. Tr. loc cit. c. 1. § qui aliter.*

nunquam vero domi ulla ratione a quovis homine, niſi ex peculiari indultu Noſtro celebrentur; quæ facultas a Nobis erit iuſta de cauſſa ſatis probata toties quoties concedenda. Parochis igitur ex lege Sanctę obedientiæ, alioquin graviſſimas pœnas ex arbitrio Noſtro daturis, vetamus, ne unquam domi aſſiſtant, (y) ſed ſemper inter Miſſarum ſolemnia Nuptiis benedicant, & cæremonias ab Eccleſia ſtatutas ſervent, ut iuxta Patrum Conſtitutiones Deum in primis præ oculis habeant Sponſi, cuius Sacramentum ſunt. Veruntamen caveant, (z) ne ſecundis Nuptiis benedicant, ſi antea Mulieri benedixerint, quia talis Benedictio iterari non poteſt; unicam enim repręſentat unionem Chriſti cum Eccleſia, etiamſi primum Matrimonium irritum fuerit. Si autem Vir ſecundam non benedictam duxerit, tunc nuptiæ benedicantur.

Quod ſi ex gravi aliqua neceſſitate Matrimonia domi celebrari aliquando patiemur, teneantur contrahentes infra congruum tempus ad Eccleſiam pro benedictione ſe conferre, niſi rationabili de cauſſa a Parochis probanda id poſſe differri videatur. Parochis id negligentibus, & pœnas Jure ſtatutas, & quam graviſſimas ad arbitrium intentamus.

Advenarum, Peregrinorum, & quomodocumque vagantium Matrimoniis (a) niſi prius de eorum ſtatu cognoverint, Noſque certiores fecerint, ut diligenti inquiſitione, & per eorum Ordinariorum Teſtimoniales de ſtatu libero cognoſcamus, & in Scriptis facultatem concedamus, nunquam Parochi interſint. Accolę autem alienæ Diœceſis, ſi ab eorum Infantia, antequam poſſent contrahere, in hac Noſtra commorati fuerint, vel ſi ſint ita finitimæ Diœceſis, ut a Parocho huius Noſtræ, a quo celebrandum erit Matrimonium, eius Parochus, & Character cognoſcatur, poſſintque haberi publicationum atteſtationes, etiam ſine mandato Noſtro recipiantur.

Mandamus inſuper Parochis omnibus ex virtute ſanctæ Obedientiæ, ne ullum ad Sacramentum Matrimonii patiantur accedere, (b) qui minime rudimentis Fidei, Doctrinæque Chriſtianæ præceptis imbutus ſit: ideoque antequam publicationes incipiant, Sponſos diligenter interrogent, & ſi rerum earum maxime quæ ad ſalutem ſunt ſcitu neceſſariæ rudes invenerint, differant ipſas denunciationes uſque eo dum didicerint, & de hoc inter Miſſarum ſolemnia frequenter Populum moneant.

(c) Pudet Nos dicere, quam turpis, & flagitioſus ſit uxorum abuſus: itaque præterquamquod tam grave ſcelus Nobis abſolvendum reſervamus, ut facilius etiam hoc ducti ſtimulo omnes

c.videtur.34 q.6.
s) C nc.Tr. d. c.1.c.quod nobis. & c. cum inhibitio de Cland. de Sponſ. c.1. & paſſim per totam cauſ. 30. q.5. Conc. Later. ſub Joan. III. an. 1214. c. 51.
T] D. c.inhibitio § ſane
V) Cōc.Tr. loc.cit. c.aliter. 30.q 5. in fin.
X) Concil. Tr.loc.cit. d. c aliter.& c. nonnullus.& c. Noſtrates ibi.
Y] d Conc. Trid.loc.cit. c.ſponſus 23 diſt. dic: cc: 30. q.5. Rit: Rom.hoc.tit. § moneant.
Z) c.Capellaum & c. Dominus & c: Vir: de ſecund. Nupt:
a] Concil. Trid.d. Seſ. 24.lo:cit.c:7.

nęs

Digitized by Google

nes se abstineant, Parochos per Viscera Jesu Christi rogamus, ut diligentissime & prudentissime, sicubi forte ex Dęmonis fraude serperet, tollant: se tamen antea colligant, videantque attente, qua ratione & detegi recte possit, & tolli, ne forte innocentia, ac simplicitas offendatur: Veruntamen omnino illud destruant; ob hæc enim malorum genera gravissimas vindici Domino impius Mundus per omnia tempora pœnas dedit.

Nemo ad secundas Nuptias transire præsumat, (*d*) antequam certior sit factus de alterius Conjugis morte. Mulieribus itaque, quarum Viri vel caussa belli, vel captivitatis, vel peregrinationis multos iam annos absint, ne liceat ullo modo cum alio contrahere, nisi Nos per Testes certos, & juratos, aut per juratorum Testium scripta de Viri morte certiores fecerint, atque a Nobis ad Matrimonium denuo contrahendum facultatem habuerint. (*e*) Mulier enim, *vivente Viro, est legi alligata, quod si dormierit Vir eius liberata est a lege, cui vult nubat tantum in Domino*. Veruntamen non est præsumendus dormiens, qui vivus potest præsumi.

Porro (*f*) cum *duo* sint Sponsi *in carne una*, neque homo separare debeat, *quod Deus conjunxit*; (*g*) cumque debeant Viri *diligere uxores suas ut corpora sua*; caveant Parochi attente, ne Conjuges a Connubio separent, (*h*) quod equidem sine legitima caussa summa cum injuria Sacramenti fieret. Ubi vero sejunctos invenerint, ad pristinam consuetudinem eos revocare impense studeant; Nosque de hoc faciant certiores, ut eos etiam per Ecclesiasticas Censuras, si opus fuerit, ad id compellamus: (*i*) Cum autem justa de caussa id facere credant Sponsi, & se ab invicem separare, ad Nos illam deferant, ut rebus omnibus circumspectis, quod magis expedierit, de re hac decernamus.

(K) Ab Adventu Domini Jesu Christi usque in diem Epiphanię, & a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis, ut ajunt, inclusive Connubia de pręsenti ne conjungantur. Quod si permittere iusta aliqua de caussa Nobis videbitur, sine ulla Solemni cæremonia id fiat, sed privatim ea Parochi coniungant.

(*l*) Habeant præterea librum Parochi, quo Conjugum, & Testium nomina, diemque, & locum, quo Matrimonium initum fuit, describant; quem diligenter custodiant eo ordine, ac ratione, quæ in Rituali Romano (*m*) descripta est. Quod impune nemini unquam Parochorum aut omittere, aut negligere per Nos licebit.

b] *S.C.Episc. 3.Mar.1588*
c] *de hac mat. vide Sanchez. de Matrim. lib. 9. de debit. Coniug. disp. 18. per totam.*
d] *c. Dominus de secũd. nupt. c. in pręsent. de spons. & Matr.*
e] *ex Ep. ad Rom. 7. v. 2. ex 1. Corinth: 7. v. 36.*
f] *ex Gen. c. 2. Matth. 19. v. 6.*
g] *ad Eph. 5. v. 29.*
h] *c. quesivit. & c. Porro. & c. de illa. de divort.*
i] *dic. c. de illa in fin.*
k] *Conc. Tr. loc. cit. c. 10. & can. 11. c: non oportet. & c. nec uxorem. & c. Apostol.* xxxiii. *q. 4. c. Capellanus. de fer.*

l] *Conc. Tr. loc. cit. c. 1. §. habeat* m] *Rit. Rom. de rit. celeb. Matr. § peractis.*

Digitized by Google

874

§

DE SPONSALIBUS.

a) *l.2.& 3 ff. de sponf.*

CUM femper Matrimonium, utpote cōtractus eft, per promiffionem incipiat, de ea quoque pauca dicere inftituimus. Quam quidem promiffionem a fpondendo *fponfalia* dicunt. (*a*) Pofitum enim fuit in moribus antiquorum, ut folemni formula alter alterum ftipularetur, fefeque ultro citroque alter alteri defponderet, unde & *Sponfi*, & *Sponfa* apellatio orta eft. Quæ porro Sponfalia cum pro Matrimonio nondum rato, fed tantum pro futuro contrahendo accipiatur, (*b*) Canones *ut futurarum Nuptiarum promiffa* definiunt. His vero conditionibus rata, firmaque funto. Prima, ut adfit vera promiffio, nam ficta nulla eft: fecunda, ut mutua promiffio fit, & ut inter Perfonas ad contrahendum idoneas, nulloque perpetuo impedimento irretitas: tertia, (*c*) ut faltem poft feptennium promiffio fiat, aut prius facta ratificetur. Sic contracta, (*d*) dummodo ex mutuo confenfu vel aliis iure permiffis cauffis non diffolvantur, ad Matrimonium fuo tempore ineundum contrahentes adftringunt.

b) xxx. *q.5 c. Noftras.*

c) *c. Juvenis & c. audientiam de fponf. & Matrim.*

d) *c. omnis res. & c. praterea eod. tit. argum. in c. 1 de regulis Juris in 6.*

Ut itaque adverfus hæc, quę ad Sacramenta referuntur, reverentia aliqua adhibeatur, hortamur in primis, ut quæcunque Sponfalia de futuro, quæ de cetero in hac Noftra Dięcefi fieri contigerit, (*e*) femper parentibus monitis, & præfente Parocho, vel faltem Teftibus fiant, qui teftimonium dicere de illis poffint, fi oportuerit. Utut enim privata fponfalia vel Arrha, vel figno fiant, folet fæpe ufuvenire, ut interpofito temporis fpatio Contrahentium alter vel litibus vexetur, vel fraudibus ab altero decipiatur.

e) *S.C. Conc. 25. Octob. 1518. & 26. Augu. 1586*

f) xxxii *q. 13 c. honoratur.* C. 1. *de. fponf. & Matr.*

Cum autem intelligamus expectationem longamque temporis dilationem periculum aliquod ut plurimum inducere, contrahentes hortamur in Domino, ut quam citiffime, fi fieri poteft; fin minus intra annum faltem, quo fponfalia facta funt, Connubium iungant, dummodo eæ adfint conditiones, quæ Jure imponuntur.

g) *Conc. Tr. Seff. 24. de Ref. Ma. c. 9. c. Gēma de Sponf. & Ma trim.*

Licet (*f*) fponfalia a Parentibus pro Filiis contracta ipfo Jure contrahentes obftringant, nifi ii contradixerint; attamen nullo modo (*g*) Parentes Filios impedire poffunt, quominus libere fponfalia faciant: quare de hoc a Parochis erunt admonendi, ne letha-

li cul-

Digitized by Google

li culpa impediendo se adstringant. (*h*) Filii quoque admoneantur, ut ob reverentiam, quæ erga Parentes adhiberi debet, ne iis invitis sponsalia faciant. [h] *Cath.R. de Sacr.Matrim.n.32.*]

Caveant attente Parochi, ne sponsi de futuro, quod equidem grave scelus esset, antequam contrahant de præsenti, simul cohabitent. (*i*) *Væ enim terræ, cuius Principes mane comedunt*: Coniugium qui eo animo faciunt (k) *ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini vacent, habent potestatem Dæmonum super se*. Ostendant insuper pericula, & scandala, quæ ex tam gravi crimine suboriri possunt, ac tandem maribus denuncient, ut magis ab hac culpa patranda deterreant, absolutionem unis Nobis esse reservatam. [i] *Ecclesiast.* 10. *v.* 17.] [K] *Tob.* 6, 17.]

Digitized by Google

CAPUT XVI.

DE VITA, & HONESTATE CLERICORUM.

DE Moribus Clericorum ad Sanctitatem, & innocentiam conformandis cum agimus, deque vita honeste, recteque instituenda praecepta cum damus, & leges statuimus, rem equidem suscipimus, quam in officio, ac Pastorali munere Nostro praecipuam esse intelligimus. Ii enim, qui in sortem Domini, & in partem haereditatis eiusdem vocati sunt, (*a*) cum a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ut expressam in illis honestae, sanctaeque vitae imaginem, quam imitentur, intueantur. (b) ***Quam*** itaque ***pulchrum***, *si videaris, & prosis!* inquit unicuique D. Ambrosius; neque enim solum (*c*) corrigetis orbem, Filii Carissimi, verum etiam glorificare Deum ex vestra conversatione facietis, cum scriptum sit, (d) *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Caelis est*. Quod ne frustra vobis dictum sit, neve cadat in Clericos Dioecesis Nostrae illud Prophetae: (e) *sic Populus ut Sacerdos: omne caput languidum, & omne cor maerens*; sed ut integrum sit Sacerdotium Nostrum, dilectissima Progenies nostra, (*f*) *& sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, ubique vigeat, pauca quaedam benevole & amice, ut amantissimum Patrem decet, proponere instituimus, quę summopere cupimus, ut non amplectantur modo, verum etiam ut prompte & alacriter exequantur.

a) *ex Conc. Trid. Sess.* 22. *de Ref. c.* 1.
b) *D. Amb. ser.* 10. *in psal.* 118. *nu.* 74.
c) *ex D. Jo. Chrysо. hom.* 15. *in Matth* 5.
d) *Matth.* 5.
e) *Isai.* 1. *v.* 15.
f) *Gen.* 27. *v.* 27.

Cum igitur ii omnes, qui militiae Christi Sacramento obstricti sunt, regales quidem homines, & sublimes, non ad commoditates aut voluptates, sed ad labores, & ad solicitudines (g) *in opus mysteriorum Dei, & in aedificationem* Corporis *Christi* vocati sint; intelli-

g) *Ad Eph.* 5.

Digitized by Google

intelligent sibi esse ubique attente providendum, ne a recta vivendi via deflectant, neve quidquam præseferant, quod non simplex, castum, integrumque sit, ut modestiæ, sobrietatis, humilitatis, ac ceterarum virtutum omnium aliis exempla se præbeant. (*h*) Quod ergo sunt professione, actionibus potius, quam nomine ostendat, ut nomen congruat actionibus, actiones vero respondeant nomini, ne homines sint sublimes, & vita deformis, professio Deifica, & illicitæ actiones; (*i*) *Quid enim est Principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine honore, aut quid dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Porro in mentem veniant, (K) vetuisse Deum Moysi, ne quisquam habens maculam de semine Aaron, cuius equidem Sacerdotes gerunt vices, accederet offerre hostias Domino, ne Sanctuarium contaminaret; quare sint sancti Deo suo, sicut est Sanctus Dominus, qui eos sanctificat: atque, ut uno verbo dicam, sic in omnibus sese ostendant, (*l*) *ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

h) *ex Div. Ambr. l. de Sacerd. dign. c. 3.*

i) *Salvian. l. 2. de Eccle. Cathol.*

K) *ex Levit. 21. v. 6.*

l) *Concil.* Trid. *loc. cit.*

m) *lit. Past. Nost. Nunquam satis. de vit. & honest. Cler. an.* 1721. *in calce Synodi*

Ut igitur omnia, quæ illos præstare oportet, singillatim recenseamus, ab exteriore cultu, habituque corporis, ut gradatim ad cetera accessus fiat, sermonem instituimus. Quivis itaque sive Tonsura tantum initiatus, sive Ordinibus quibuscunque insignitus, (*m*) vel domo cum exit, vel per vias publicas cum incedit, semper Clericales vestes, & Clericalem Coronam deferat; noster enim habitus regalis est ad venerationem deferendus: (*n*) ni paruerit, & admonitus non resipuerit, in Minoribus si erit, vestibus Clericalibus exuetur, & quocunque privilegio privabitur, qua pęna si damnabitur, nullo unquam tempore restituetur; (*o*) si vero in sacris, gravissimis pęnis, atque adeo ipsa suspensione a Divinis punietur: qui autem Beneficium Ecclesiasticum ultra sexaginta aureos obtinuerit, non modo pęnas dabit, quas intentavimus, verum & Beneficio privabitur.

n) XXI. *q. 4. c. fine, & c. Episcopi*

o) *Concil. Trid. Sess.* 14. *de Ref. c. 6. Sixtus* V. *Const. cum Sancta anno* 1589.

Jam vero eiusmodi vestes deferant, quæ eorum dignitati conveniant, ac proinde brevioribus cum induuntur, Pallio etiam amiciantur, neque Baculum pro Pallio deferant: contumaces, qui non paruerint, pęnis ad arbitrium, atq; adeo ipsa suspensione a Divinis coercebuntur.

XXI. *q. 4. c. præcipimus. Clemen. unic. de vit. & honest. Cler. c. 2.*

(*p*) Cum autem per Urbem vel per loca publica transeuntes vestem talarem semper deferre deberent, tum vero maxime in Ecclesiis, ubi rem Divinam facturi sint, vel officia sacra celebraturi, id præcipimus. Sacristę vero ne impune quem sine Talari celebrare patiantur, officio, si neglexerint, privabuntur; eos vero, qui parere noluerint, eodem iure ad Nos deferre teneantur.

p) *c. nullus* XXI. *q. 4. c. non licet. 2. dist.* 22.

Itine-

q] Conc. Tr. dic. Sess. 14. de Ref. c. 1.
r] XXI. q. 4 c. omnis. & c. præcipimus & cap. nullus. cap. Clerici. dist. 23. c. Clerici de vit. & honest. Cler. & c. 7. & c. 4. ibi.
s] ex Divo Hier. ep. ad Nepo. de vit. & hon. Cler.
t) Matth. 11.
u) dic. Clement. de vit. & hon. Cler. c. 2.
x] Concil. Mediol. hoc. tit. c. 1.
y] Conc. Tr. loc. cit.
z) I. Corint. 11. c.
A] C. prohibete. s. Cler. c. non liceat. 2. § nõ oportet. c. si quis de vit. & ho. Cler. Const. Sisti V. de hab. & Tons. Cler.
B] dic. litt.

Itinerantes vero a lege talaris vestis omnino excipiuntur, itemque si ningat, aut pluat; id enim si eveniat, contractiores vestes, quę tamen nigri coloris sint, & in quibus honestas, decusque Ordinis, & Clericatus eluceat, permittimus. Veruntamen a talari veste, vel ii qui ruri degunt, ne eximantur, dum Sacra vel faciunt, vel ministrant: ceterum vero brevioribus ut utantur facile sinimus.

Sciant hinc Sacerdotes omnes, Parochique, & Clerici singuli in hac Nostra Dięcesi degentes nunquam sibi in posterum ad Nos accessum fieri posse, maxime si pro Ecclesiæ negocio, vel pro ministerio advenerint, nisi talari, decentique veste induti sint.

Quia vero (q) per decentiam extrinseci habitus intrinseca honestas morum ostenditur, ideo Clericis, & Sacerdotibus omnibus Nobis subiectis, ut sordidum & neglectum vestiendi modum interdicimus, sic omnium vestium genera, quæ religiosæ humilitatis speciem minime habeant, omnino prohibemus. (r) Quare ab omni exquisito ornamentorum genere abstineant, & vanum laicorum cultum fugientes, ita modeste sese gerant, (s) ut ne vestibus, sed moribus ornati esse videantur. Omne quippe, quod non propter necessitatem, & decentiam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet contumeliam, & (t) *qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*.

Caveant itaque ne aut vestes, quæ intus, aut illæ, quæ foris deferuntur (u) varietate colorum distinctæ sint: a violaceo colore abstineant, quo eos tantum uti patimur, quos ratione alicuius dignitatis decet: pileos non decentes, colaria, & crispatas armillas laicorum vanitatibus, a quibus omnino Clerici differre debent, inservientes respuimus. (x) Anulum iis, quibus ratione muneris minime conveniat, prohibemus: quascunque tandem ad elegantiam cultus exquisitas vestes, vanorumque ostentationibus potius quam Clericorum sanctitati convenientes omnino rejicimus. Qui vero huic Nostro Decreto minime paruerit indignationem in se Nostram concitabit, & pœnas tum (y) Jure statutas, tum a Nobis imponendas haud certe effugiet.

Ii vero, qui comam nutriunt, sive Clerici, sive Sacerdotes summa ignominia ab Apostolo (z) afficiuntur, a Canonibus Sacris (A) condemnantur, & a Nobis rejiciuntur. (B) Quare omnia Decreta Nostra de hac re renovantes capillos colere, aut comas nutrire prohibemus, & quascumque fictitias comas ab hac Nostra Diœcesi, id nisi permittere videbitur ob gravissimam necessitatem, amandamus. Fieret enim per summum dedecus, ut

ab iis

Digitized by Google

ab iis, qui Christi Ministri sunt, quorum comas Cœlesti corona insignire dignatus est, inanes laicorum pompæ perquirerentur. Clericos tantum decet Clericalis Tonsura, (C) quæ rasa desuper in modum sphæræ, & iuxta Ordinem, & disciplinæ gradum, ut deferatur committimus; ceterum detonso capite, patentibusque auribus iuxta Canonum constitutiones incedant; ita ut (D) *non sit extrinsecus capillatura*. Qui non paruerit, & pœnis (E) a Jure statutis, & gravissimis ad Nostrum arbitrium mulctabitur.

Past. nost.& ibi. notat.
C] *d.c.prohibete. ibi.*
D] I.*Petr.* 3.
E] *Can.sup. cit.*

Cum enim in ipsamet sacræ Religionis susceptione (F) *spectaculum* facti sint Clerici *Deo*, *Angelis*, *& hominibus*, quis non videt, (G) eos contemptibiles, & humiles omnibus Populis fieri, si recedentes de via, & plurimos in lege scandalizantes irritas faciant vias eius, & pactum Levi? Quare cum extrinseco corporis habitu, tum vero in primis (H) intrinseco virtutum omnium ornamento perfectum se Sacerdotium Dei habere demonstrent, ita ut cognoscantur (I) ut *Populus eius*, *& oves Pascuæ eius*.

F] I. *Cor.* 5
G] *ex Malach.* 2. 9.
H] *ex Div. Hier. ep. ad Rust.*
I] *Psal.* 94. *v.* 7.

Præcipimus igitur Clericis omnibus (K) quorum sanctificatio voluntas Dei est, ut sedulo orationibus, & sacris lectionibus vacent, cum enim eorum animus per orationem Deo iungatur, & ex assidua rerum Divinarum lectione alimenta capiat, quibus enutriatur, fiet (L) *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Porro semel saltem in mense Sanctissimis Pœnitentiæ, & Eucharistię Sacramentis spiritum recreent: (M) quotidie devote, & attente Divinum officium recitent, si tenentur, sin minus in rerum spiritualium, & Sacrarum libris versentur. (N) Ii vero, qui ex Ordine vel Beneficio ad Divini officii recitationem tenentur, sciant, se semper peccare graviter, ubi vel totum, vel integralem partem aliquam omiserint, quare si eorum desidiam, ac negligentiam deprehendemus, pœnis Jure impositis eos puniemus.

K] I. *Ad Thessal c.* 4.
L] *Psal.* 1. *v.* 3.
M] *c. Presbyteri. de celeb. Miss.*
N] *Leo X. in Conc. Lat. Sess.* 9. *c.* 9.

Jam vero Clericos omnes per Viscera Jesu Christi obsecramus, ut in litteras enixe incumbant, atque in primis Divinarum Doctrinarum studiis obsequantur: (O) ut pueriles eruditiones contemnant, vanorumque litteratorum nugas, librosque omnes, qui a Jesu Christo, quem profitentur, longe absunt, missos faciant, ne qui Divina tractant per eos in vanitatem sensuum, & morum perturbationem fortasse incidant. (P) Equidem *librum mandatorum Dei Clericos decet*, (Q) qui libros sanctos solatio habeant necesse est: memores quod primis quoque temporibus (R) *multi ex iis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt* coram Apostolis.

O] *c.* 1. 2. *& 3. dist.* 37
P] *Baruch.* 6.
Q] I. *Machab.* 12.
R] *Act.* 19 19.

Siquid

S) *ex Divo Ambr. ser.* 10. *in psal.* 118. *n.* 74.
T) *ex epist. ad* Timoth. 4
V) *ad Col-los.* 1.
X) *Concil. Laoid. c.* 54. *c. non oportet dist.* 5. *de con-secr. c. Cleri-cal. Offic. de vit. & hone. Cleric. in* 6.
Y) *c. His igitur D.* 23.
Z) *ad Ti-moth.* 2. 2.
a) *ex Ioan. epist.* 1. *c.* 1.
b) *Petr.* 3. 11.
c) *ex Divo Aug. de ser. Dom. in mŏt. c.* 6. *t.* 4.
d) *ex Divo Chrys. li.* 1.
e) *Dic. past. nost. Nunquā satis.*
c. Clerici arma. de vit. & honest. Cler. XXIII. *q.* 8. *c. Clerici & c. non pila & c. quicun-que Clericus. c. si quis D.* 36.

Siquid a rebus Divinis, & sacris superest temporis, siquid tamen superesse potest iis, qui ad Deum unice laudandum vocati sunt, (S) ne ad Sæculi curas, aut Mundi negotia transmittant, (T) sed exerceant seipsos ad pietatem ad omnia utiles, (V) *Deo per omnia placentes*. In eo siquidem omnino occupari debent, qui in sortem Domini vocati sunt, ut & legi fideliter pareant, & virtutum ornamenta consequantur. Quapropter (X) ne fabulis obscænisque Comędiis, neve Hastiludiis, cęterisque spectaculis, per quę aliquod honestati, & sanctimoniæ periculum creari potest, ullo unquam tempore intersint: in iis adeo sese exercere turpissimum esse intelligimus: quid enim turpius fieri potest, quam si aures, & oculi sacris officiis addicti ludricis, & impuris actionibus polluantur? (Y) Publicas Sæculi pompas, Convivia, Bacchanalia Choreas, & cetera omnia, quibus Mundi illecebris animus solet titillari, omnino effugiant: (Z) *profana, & vaniloquia devitent; multum enim proficiunt ad vanitatem*: noctu per Urbem, viasque publicas ne divagentur; (a) qui enim in tenebris ambulant, Deum minime norunt, Clericique lux Mundi esse debent: (b) *Conversationem inter gentes habentes bonam* procedant: omnia denique, ut uno verbo dicamus, quibus Dei Populus minime (c) condiri potest, quantum in ipsis est, evitare conentur; (d) & iuxta Divi Chrysostomi sensum ad se, & ad Proximum propriam vitam instituendo, quantum attinet ad semeptipsos, curent omnino, ut virtutem habeant obiectum, & præcipue obedientiam erga Deum, eiusque præcepta. Quantum autem ad Proximum, sic luceant virtutibus, ut etiam ipsis silentibus omnes, qui eos vident, doceantur. Quod equidem nunquam impune negligent, quippe gravissimas Nobis, ex delictorum ratione, pænas omnino daturi.

Cum nec ferrea pila, neque aliud armorum genus sumant milites Christi, Ecclesiæque arma una sit Fides, & Oratio, qua Deo militare possimus, (e) Sacrorum Canonum vestigia persequentes Clericis omnibus in hac Nostra Diœcesi degentibus omnia armorum genera interdicimus, ea mente, atque animo, ut Christum Dominum Divinum sane ac perfectum exemplar imitantes humilitatem, lenitatem, ac mansuetudinem non colant modo, verum etiam, quoad eius fieri potest, semper exerceant (f) *servientes illi in sanctitate, & justitia coram illo omnibus diebus*. Quod si per ea loca transire cogantur, in quibus insidiarum periculum sit, arma eos facile deferre patimur, quorum adiumento latronum vim depellere possint; (g) virgam enim ne tollerent Discipulis itinerantibus Præceptor Dominus non prohibuit. Quæ vero de omni armorum genere decre-

Digitized by Google

re decrevimus, qui neglexerit, tanquam (*h*) Sacrorum Canonum contemptor, & Ecclesiasticæ Sanctitatis profanator non habeatur modo, verum etiam acerrime puniatur.

(*i*) Noxia quævis ludorum genera, atque inprimis aleas, taxillosque Clericis interdicimus: (K) *scandalizantur enim illi, qui vident alios sic ludentes, maxime si sunt viri alicujus auctoritatis, ut Ecclesiastici, quos alii debent sequi in exemplo vivendi.* (*l*) Prędecessorum insuper Nostrorum Constitutiones ratas, firmasque habentes cautum esse volumus & Nos, ne Clericorum quisquam (quod homines Divinis rebus addictos minime decere intelligimus) publice folle ludat; tametsi ea genera ludorum, (*m*) quæ vel valetudinis, vel oblectationis caussa exercentur, dummodo ne id aut publice, aut aliquo cum dignitatis, regalisque gradus dedecore fiat, facile illis concedimus.

Cum valde absonum sit, & Clericorum Sanctitati, ac Moderationi indecorum, qui cum Angelis Deo laudes persolvere debent, inter Canum latratus incompositasque venatorum voces versari, (*n*) Clericis omnibus præcipimus, & mandamus, ne a venationibus, quæ canum accipitrumque apparatu exerceri solent, omnino abstineant: pœnas dabunt, qui non paruerint, Jure intentatas, & a Nobis intentandas; quam legem equidem & a Sacrosancta Tridentina Synodo, & a Sacris constitutionibus accepimus. (*o*) Aucupium vero, atque illud venationis genus, quod oblectationis gratia sine canum, armorumque strepitu suscipi solet, omnino non interdicimūs.

(*p*) *Nemo militans Deo implicet se negotiis Sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit;* (*q*) ii enim, *qui vel pars Domini sunt, vel Domini partem habent, nihil extra Dominum habere possunt.* Caveant itaque Clerici, quod quidem ni fecerint, pęna suspensionis ipso facto incurrenda mulctantor, *ne officium Clericatus genus antiquæ militię putent*; idest ne lucra sæculi quærant in Christi militia: Itaque (*r*) officium Tabellionatus ne exerceant, neve in arte medendi versentur: Tutelas ne suscipiant, Fidejussiones ne promittant, Advocati, aut procuratoris nomine caussas apud Laicos Judices ne agant, nisi ab aliis in judicium vocati proprium, vel Ecclesiæ suę, atque adeo propinquorum, si necesse erit, & pauperum jus, facultate tamen ad id prius a Nobis impetrata, tueantur: sed neque aliena prædia lucri caussa conducant; neve Ordinis, & dignitatis obliti in laicorum famulatu sint, aut eorum negotiis, rebusve domesticis obsequantur sub pænis a Jure statutis

f) *Luc.* 2.
g) *Marc* 6
h) *c.quicūque ex Clero.* xxiii.*q.*8.
i) *Conc.* Tr. *Sess.* 24. *de Ref. c.* 12.& *Sess.*22. *c.*1. *c.Clerici officia. de vit. & hon.Cleri. c. inter dilectos.* 11. *de exces. Prał.*
K) *Tostad.in Mat.c.*6*q* 55
l) *Constit. Syn. hoc tit.*
m) *D.Car. Act.Mediol. Eccl.pag.*10.
n) *c omnes & c. Episcopus. de Cler. Ven. c.an putatis.dist.*86 *c. quorumdā dist.*34.*Trid. Syn loc.cit.*
o) *dic. c.Episcopus. in Glos. in verbo Voluptate & ibi not.*
p) 2.*Tim.*2.
q) *ex D.Hie. ep.ad Nepot.*
r) *c.*1. & *c sententiam. & passim per totum.*

K cetera

542

cetera omnia demum Clericis omnibus interdicimus, quæ in Synodo Antecessoris Nostri recens edita (s) continentur.

(t) Aliquas vero honestas artes, quibus aliquid lucrentur, quo & sibi quæ ad victum necessaria sunt comparare possint, quove propriæ, vel aliorum inopię succurrant, Clericis non interdicimus: (u) nihil enim Nobis magis cordi est, quam ut eos semper Diabolus in re aliqua occupatos inveniat. (x) Hæc potestas & ipsis Apostolis facta fuit, quos manibus suis laborasse, necui incommodo essent, & aliis refrigeria tribuerent, intelligimus. Quod tamen sine laicorum scandalo, & sine nimia lucri, turpisve quæstus aviditate, sed decenter, & Apostolica mente, ac privatim semper volumus, ut fiat.

(y) Cumque nihil esse possit aut sordidius, aut turpius, quam ut nimia divitiarum cupiditate Sacerdotes capiantur; (z) nam *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in perditionem*; maxime cavendum est, ne ullum mercaturæ genus Clerici instituant. Omnibus itaque, in primis vero Parochis vetamus, (A) ne caussa lucri vel per se, vel per alium negotientur, seu ne ullum mercaturæ genus exerceant: sicut enim in negotio minime negligentes erunt, ita facile Ecclesiasticum ministerium intermittent, remisseque officium Parochiale, aut Clericale exequentur, insanis sæculi fluctibus, malisque Dæmonis fraudibus qui sese objiciunt. Quare (B) ne inclinent cor suum in avaritiam, sed in testimonia Dei, iterum iterumque rogamus: (C) ejiciens enim Dominus vendentes, & ementes de Templo satis aperte significavit Ecclesiarum Rectores mercatura, & negotiationes quam dedeceant. (D) Siquis huic Nostræ Constitututioni non paruerit, is gravissimis a Jure statutis pœnis, atque etiam suspensione a Divinis mulctabitur.

Quam turpe vero sit, quamque indecorum Cauponas, Tabernasque Clerum frequentare, & inter vanas Laicorum, & dessidiosorum hominum compotationes Dœmoni magis, quam Deo, cui servire regnare est, obtemperare, & omnia Jura docent, (E) & Nos alias significavimus. Fit hinc, ut primi Clericalis vitæ Institutores, (F) *ne multo vino deditus, sed sobrius* ut Clerus esset desiderarent. (G) *Luxuriosa enim res vinum, & tumultuosa ebrietas est; quicunque his delectatur non erit sapiens*. Itaque primum per Viscera Jesu Christi eos rogamus, deinde Clericis omnibus, præsertimque Parochis committimus, (H) ut a comissationibus, & compotationibus omnino abstineant, caveantque, ne summo cum Ordinis

tit. ne Clerici, vel Mon. XXIV. *q.* 4. *c. Can. C. tuanos de hom. vol. c. Clerici & c. cum Sacerdos de postulando.* XXI. *q.* 5. *c. placuit. Conc. Laod. c.* 5. *Conc. Rom. I. sub. Sylvestro Pap. & Constatino. Imp. habit. c.* 16.

s] *Const. Syn. Cen. editæ.* 1695. *n.* 12. 13. & 14.

t] *c. Clericus.* 2. *Dist.* 91 *Conc. Mediol. Prov. hoc. tit § artes.*

u] *ex Div. Hier. ep. ad Rust. de viven. for.*

x] *ex Act. Apost.* 20. *c. Nunquã. de Consec. dist.* 5.

y] *ex D. Hie. ep. ad Nepot.*

z] *ad Timoth.* 1. 6.

Digitized by Google

dinis dedecore, damnoque Animarum Tabernas, & Cauponas [excepta itineris caussa, quod etiam sobrie, & modeste fiat] frequentent, aut quomodocunque nimio vino se dent, caute ubique attendentes, (I) ne forte graventur corda eorum in Crapula, & ebrietate; ne de regali Sacerdotio, deque dignitate, cui vel ipsi Angeli invident, aliquid demant: vino siquidem, & crapula effusi Populum, quem ad vitam æternam debent dirigere, verbis, scandalis, & exemplis in perditionem inducent. (K) Siquis autem in posterum ebrietatibus, quę Corpus, & Animam frangunt, se deditum demonstraverit, præter pęnas a Jure statutas, (L) Officii, & Beneficii suspensione, quoad resipiscet, aliisque corporalibus etiam gravissimis ad arbitrium, atque adeo carcere ex qualitate delicti acriter punietur.

Quod quidem cum maxime Nobis curæ sit e medio tollere tam turpe vitium summopere contendentibus, non solum Vicariis Foraneis, Parochisque omnibus stricte, ut ajunt, & in virtute Sanctæ obedientiæ committimus, ut attente inquirant per eorum Vicarias, & Parochias, num illo Clerici, & sacerdotes laborent, Nosque de iis omnibus statim certiores faciant; quod si omiserint, eorum conscientiam oneramus; neque enim Nobis unis, sed & Divino Judici rationem de quacunque negligentia reddent, si connivebunt; verum etiam quemlibet de Populo iterum iterumque in Domino rogamus, & obsecramus, ut si quem hac ignominiosa macula infectum cognoverint, Nobis patefaciant; adeo enim de hoc sumus soliciti, ut quocunque modo extirpatum velimus, propterea etiam quatuor Ducatorum Venetorum præmium Nostri ęris indici promittimus, cujus nomen etiam subticebitur. Parochos quoque, & Confessarios omnes in Domino hortamur, & obsecramus, ne illos tam facile, qui in hunc errorem sæpe relabi solent, absolvant: Sanguinem enim Jesu Christi in absolutione dispensant, cui nimis injuriosum erit, (M) si tam ignominiosa scurilitatis, immunditiæ, hebetudinis mentis, vitiorumque omnium propagine commisceri permiserint.

(N) Omnis turpitudo ne nominetur in Clericis; (O) *elegit enim Nos in Christo Deus ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati*, &, pudicitia amissa, omnis decor ruit, & omnis virtus collabitur. *Utut* equidem (P) pius sit sacerdos, humilis, temperans, aut quodvis, ni castus fuerit, nihil erit. Quam quidem pudicitiæ virtutem cum in hac Diœcesi Nostra vigere credamus, nihil ad illam quęrendam, omnia vero ad tuendam, & conservandam præscribere instituimus, Hoc igitur animo, ut in dies magis

A] *c. multa & c. sed nec. & cap. 2. ne Clerici, vel Monachi*. C. *negotiatorem. & c. seq. dist.* 88. *Conc. Nic. c.* 7.
B] *ex psal.* 118. *v.* 36.
C] *ex Matth.* 21.
D] *Concil. Tarracon. Prov. c.* 2. & 3. *c. Clerici. & c. siquis Clericus. & c. nullus. & c. quoniam.* XVI. *q.* 4.
E] *dic. Past. Nost. nunquã satis & ibi. cit.*
F] *ad Timoth.* 3. *v.* 8. I. *Pet.* 5. *v.* 8. *Canon. Ap.* 42. & 43.
G] *Prov.* 20. 1.
H] *C. ab exordio. & c. Ecclesia. & c. vinolentũ. & c. sexto die & c. venter. dist.* 35.

Digitized by Google

c:Comessationes & c. cum autem. & c. Clerici. & c. nō oportet & c. nulli Clerico. & c. convivia. & c. nullus dist. 44. Conc. Lat. 4.
I] ex Luc. 21. 34.
k] c. ante omnia. & c. Episc. D. 35. c. a crapula & c. seq. de vit. & h. Cle.
L] Concil. Prov. Aqui. hoc. tit.
M] ex D. Gregor. l. 31. Moral. c. 31.
N] ex Div. Hier. contra Jovinianum.
O] ad Eph. 1
P] D. Tho. a Villanova Conc. de S. Augustino.
Q] Con. Tr. Sess. 25. de Ref. c. 14. Conc. Carth. c. 2. & 3. cā. 3 Cōc. Nic. 1. c. 3. Cōc. Tol. 2: c. 2. & alia quā plura.

magisque eluceat, Clericos omnes, eos præsertim, qui Sacris Ordinibus sunt insigniti, per Dominum Jesum Christum rogamus, (Q) ut ne Divinum cultum, cui se addixerunt, parvi pendentes summo cum Clericalis militię dedecore, communique Fidelium omnium offensione spurcissimis impudicitiæ sordibus sese immisceant. (R) Quid enim flagitiosius esse potest, quam ut contaminetur Sanctuarium Dei, nihilque inter sanctum, profanumque distet? Quare Mulierum omnium, quæ in turpitudinis suspicionem venerint, commercium effugiant. Concubinas domi, vel foris detinere, aut alere ne audeant, Feminarumque omnium consuetudines deserant; nam (S) *de vestimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas viri*; (T) nullusque diu tutus est periculo proximus. Ancillas, aut Famulas domi, nisi bene audiant, & quadragesimum ætatis annum attingant, ne habeant; (V) quomodo enim, si quis alligaverit ignem in sinu suo, vestimenta eius non comburentur? A viduarum, & virginum frequenti congressu tandem omnino absint, (X) *quia prima Clericorum tentamenta sunt frequentes ad Fœminas aditus*. Jam vero (Y) Concilia, & Canones, qui hoc tam solemniter statuerunt, Censurarum, pęnarumque gravissimarum tela, & arma Nostris obsecrationibus addiderunt, ut eos, qui non paruerint, gravissime perstringamus.

Ne quis vero falsa spe effugiendi adductus sibi facilitatem in hac materia delinquendi faciat, idem, quod Ebriosorum delatoribus præmium polliciti sumus, iis, qui impudicos Clericos, aut Concubinarios indicaverint, proponimus. Vicarios quoque Forancos, Parochos, & Curatos omnes eodem Obedientiæ vinculo obstringimus, ut si quem tali labe infectum deprehenderint, Nobis deferant. Confessarios quoque obsecramus, ut caute in iis absolvendis sese gerant: (Z) quam enim indignum est Saceris Altaribus ministrare, qui in corde impuro pondus sustinet turpitudinis!

Mandamus tandem, (A) Prædecessorum Nostrorum decreta renovantes, sub pęna suspensionis Nobis ipsis reservatæ ne Sacerdotes, & Clerici Monasteria Monialium adeant, aut Moniales ipsas, quæ sibi primo, aut secundo gradu minime conjunctæ sint, absque Nostra licentia, alloquantur. Porro in earum Ecclesiis nulla ratione, nisi Nobis annuentibus, rem Divinam ulli facere liceat.

C. *si quisquam. & per tot. tit. de Cohab. Cler. & mul. C. ut Clericorum de vit. & h. Cler. C. interdixit. & c. præter dist. 32. C. cum in præterito. dist. 82. c. volumus. c. Fœminam. c. si quispiam dist. 81. c. si concubinæ de Sent. Excom.* R) *ex Ezech. 22. 26.* S) *Eccles. 42. 13.* T) *ex D. Cypr: ep. 68.* V) *D. Hier. ep. ad Oc.* X) *ibi.* Y) *c. c. sup. cit.* Z) *D. Cyril. de ador. 2:* A) *Coust. Synod. Cenet. hoc. tit. n. ult.*

§ DE

§

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

CUM sæpe Clerici vel gravis alicujus negotii caussa, vel eo consilio ut Sacrum aliquem locum invisant, alii alio iter suscipiant, eos, quicumque fuerint, monemus, quod par est, ut sanctitatem vitæ, morumque honestatem semper præseferant, nihil usquam agentes, quod ipsorum dignitati indecorum esse videatur. Quapropter optimos secum perducant vitæ Moderatores, ipsorum si id commodo fieri poterit, vel eos saltem comites, a quibus in omnibus, quæ ad innocentiam, ac vitę sanctitatem pertinent, adjuvari possint: ita denique ubique se gerant, (a) ut Deus, Angelique eis comites sese præbeant, (b) qui custodiant illos in omnibus viis eorum, & in manibus portent eos, ne unquam offendant ad lapidem pedes suos, (c) sed rectos gressus eorum faciendo itinera in pace producant.

a) ex Tob. 5 per tot.
b) ex psal. 90. v. 11. 12.
c] ex prov. 3. 27.

Cęlesti adeo Duce semper dirigentur, si comitem sociamque habebunt Divinam gratiam, & orationem: quare Pœnitentię, & Eucharistiæ Sacramentis prius se muniant. Itinerarium juxta formam Breviarii quotidie recitent: propria munera, & quod caput est, Divinum Officium, si recitare tenentur, ne omittant: Sacrum quotidie, ubi tempus locusque patiatur, agant, vel audiant: in iis tandem, quę ad Religionem, & pietatem pertinent, occupentur, ut & foris, & intus virtus & honestas in illis eluceat.

(d) Cum Nobis vel non annuentibus, vel insciis, vel invitis, non liceat Clericis peregrinari, ne unquam ad remota loca iter suscipiant, neve alio divagentur, nisi prius a Nobis benedictionem, & dimissoriales litteras impetraverint; quod equidem ex Obedien-

d) c. Non oportet. de consec. dist. 5. & ibi in Gl. Conc. Laoid. c. 41. & 42. Cōc. Format. c. 4.

Obedientiæ præcepto indicimus, pœnas ex animi ſententia iis impoſituri, qui non paruerint.

A Profanis collocutionibus, ubi aliquem ſibi comitem adjunxerint, abſtineant: cum pravis hominibus, &, quod caput eſt, cum mulieribus nullam unquam ſocietatem ineant, ne ſcandalo Populis ſi forte fuerint, in perditionem itinerentur.

Niſi gravi neceſſitate coacti fuerint, vel voto obſtricti, vel aliqua alia de cauſſa, de qua Nos cognoſcere oportebit, Oſtiatim ne emendicent. (e) Ad Cauponas, fieri ſi poterit, ne accedant, ſed vel in Religioſa domo, vel in hoſpitalibus, ad id conſtructis, diverſentur. Templa, Sacraſque Reliquias cum ſalutaverint, etiam pro Nobis, quod quidem enixe ab illis petimus, orent. (f) Eccleſiæ, & Diœceſis, in qua fuerint, legibus morem gerant: reverſi tandem cum fuerint de peregrinatione, & de teſtimonialibus ab Ordinariis locorum, per quæ tranſierint, impetratis certiores Nos facere teneantur.

e] *c. Clerici diſt.* 44. *& ibi in Gloſ.*

f] *cap. illa diſt.* 12. *& ibi D. Auguſt. ep.* 118.



CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

DE SEMINARIO CLERICORUM.

HONESTI fontem, optimamque vitæ magistram vel ipsi moralium Philosophorum Principes (a) morum institutionem, disciplinam quam dicimus, appellarunt: ea enim non animum modo certis præceptis, institutisque informat, verum etiam a pravis cupiditatibus ad moderationem, & virtutem revocat: Porro (b) hęc si cum litteris conjungatur, quibuscum aliquam affinitatem, & quasi cognationem fere semper habuit, facilius multo, atque altius virtutum semina in animis Adolescentum inserit, & uberiores in dies honestarum actionum fructus ingenerat. (c) Quid enim aliud est *lex sapientis*, nisi *fons vitæ* & declinatio *a mortis ruina*, aut qualis optimæ disciplinæ fructus, nisi viæ bonæ intellectus, & virtutum fundamentum? Quod quidem cum multi Patres, (d) & ii maxime, qui Sacris Conciliis non interfuerunt modo, verum etiam præfuerunt, intelligerent, ut ętas Adolescentium, quæ prona est in malum, & facilis ad voluptates, perfecte Ecclesiasticis disciplinis, ubi Deo se dicavit, institueretur, publici Scientiarum Doctores, & disciplinæ Magistri ut exquirerentur, & ducerentur, statuerunt. Novissime autem (e) Tridentina Synodus sanxit, ut in unaquaque Diœcesi Seminaria ad hoc construerentur, ubi tenella adhuc Ecclesiæ virgulta in dies magis magisque virtutum fructibus augerentur. Quapropter Clericorum Seminarium (f) vinea illa electa esse videtur, quam Cœlestis Paterfamilias in hac quoque Dięcesi Nostra plantare dignatus est, probos aliquando Ecclesiæ Ministros, Animarumque tutores producturam; quæ quidem vinea cum Nostræ curæ, Fideique, qua veluti sepe quadam muniatur, commissa sit, Nos, ut par est, de ea soliciti illa de ipsa decernimus, quæ magis utilia ac necessaria esse videntur.

a] *Plut. l. de educat. Arist. apud* Diog. *l. 5. Senec. de vita beata.*
b] *ex Cassiod. ep. 1. ex lect. l. 2.*
c] *Prov.* 13. 14. *&* 15. 8.
d] *Concil. Tolet.* 4. *c. omnis* 23. *Conc. Later.* 2. *c.* 11. Concil. *Remen. sub Gregor.* XIII. 1583. *de Seminario. c. Quoniam & c. quia nõ nullis. & c. super. de Magistris. c. Quibusdam dist.* 37.
e] Conc. *Tr. Ses.* 23. *de Ref. c.* 18. *& Ses.* 5. *de Ref. c.* 1.
f] *Matth.* 20.

(g) Nulli

v48

g) Conc. Tr. dic. Sess. 23. ibi § in hoc vero. Conc. Prov. Aquil. de Semin. pag. 88.

(g) Nulli itaque in primis in hoc Nostrum Seminarium accessus fiat, nisi saltem decimum secundum ætatis annum attigerit, qui ac vigesimo excesserit ne recipiatur: ii præterea, qui legitimis natalibus ortos Nobis se non probaverint, nisi aliqua de caussa Nos iis facultatem indulgeamus, rejiciantur. Statuimus insuper, ut legendi scribendique artem, & Grammatices rudimenta calleant; ejusque indolis sint, ut aliquam de se cum in litteris, tum etiam in pietate expectationem concitare possint. (h) Vana equidem, ac ridicula eorum doctrina semper extitit, qui bonis moribus non fuere; contra vero inutilis eorum pietas, qui scientiæ discretionem non obtinuerunt: qua quidem de re oportebit, Nos per juratorum Testium scripta, perque examen antea certiores fieri.

h) ex Div. Greg. in Mor.

Cum enim duo in primis Seminariorum Institutoribus proposita fuerint, nempe optima morum disciplina, & litterarum cultus, statuimus & Nos ad primum quod attinet, ut singuli, qui in Seminario erunt, pietatis, & religionis præceptis imbuantur: Quare Rectoris erit efficere, ut in iisdem sese exerceant, (i) & saltem semel in mense ad Pœnitentię & Eucharistiæ Sacramenta accedant, quotidie alternatim Beatæ Mariæ Virginis Officium, aliasque de more preces recitent: singulis quoque diebus sacrum audiant, & aliqua sacrorum librorum lectione, præsertim in Triclinio, mentem recreent; quę singula nemo ullo unquam tempore intermittet, nisi aliqua de caussa, de qua Rector cognoscet: secus qui fecerit, pœnis ad arbitrium mulctabitur.

i) Conc. Tr. ibi. § ut vero

Per Urbem cum incesserint talares violacei coloris Vestes semper deferant, neve brevioribus uti audeant, a Rectore puniendi, si non paruerint: (K) eleganti, atque exquisito Vestium corporis cultui, qui Clericalem modestiam dedecet, omnino ne vacent: nunquam, nisi annuente Rectore, a quo certis hominibus, qui eos comitentur, erunt committendi, e Seminario exeant; secus qui fecerit, statim ab ipso Rectore, Nobis monitis, ejiciatur. Porro cum erit a studiis cessandum, a Nobis facultatem exeundi prius singuli impetrare debebunt.

K) dic. Cōc. Aquil. Prov § pœnas.

Clericos omnes sibi subjectos per obedientiam, quæ boni regiminis primus est gradus & ad disciplinam accessus, ad virtutes silentio ac moderatione colendas Rector, qui Nostras vices gerit, excitet; quare tardis stimulos addat, contumaces puniat, desidiosos castiget, & in peccantes animadvertat; perditi vero, atque ii, quorum pravi mores ceteris nocere poterunt, per Nos repellantur.

Quotidie statis horis in litteris exerceantur, nec unquam litterarum

terarum

Digitized by Google

terarum ſtudia intermittantur, niſi per ea tempora, quibus vel ex lege, vel ex conſuetudine ceſſare licuerit; ab ſtudiorum autem exercitationibus nunquam abſint, niſi juſta aliqua cauſa, a Rectore cognoſcenda, eos poſtulet excuſari. (l) Ad eas quiſque artes, ac ſcientias animum applicet, in quibus honeſtos homines, atque adeo Clericos verſari deceat: id ut omnino præſtetur, efficiet, quantum in ipſo ſitum erit, ſtudiorum Præfectus. De ſtudiorum ordine, ac diſtributione, (m) quæ alias decrevimus, etiam nunc rata ac firma habemus. Jam vero cum eo præcipue ſpectent Clericorum labores, (n) ut eas ſibi artes, ſcientiaſque comparent, quæ ad ſpiritualem Diœceſis progreſſum in primis faciunt [tametſi liberales etiam diſciplinas, quæ ſacris litteris, & ſcientiis affines ſunt, ab iis coli neceſſe ſit] in aſſidua tamen Catechiſmi lectione, (o) Divinarumque ſcientiarum ſtudio Clerici omnes, quoad eius fieri poterit, præcipue verſentur.

l] Concil. Prov. Med. hoc. tit.

m] Decret. 1720. coll'. oggetto.

n] Cõc. Tr. ibi. § Sacrā Scripturam. c. Si in Laicis & c. nulli. et c. quę ipſis. diſt. 38.

o] dic. Cõc. Mediol. ibi.

Libros quoſcunque vel amatorios, vel obſcænos, vel minus honeſtos, folia luſoria, & aleas, quibus Adoleſcentum animus aut frangi, aut depravari poteſt, Seminario amandamus. Arma vero ne quiſquam vel retinere, vel deferre audeat. Rector vero diligenter inquirat, num horum aliquid in Seminario reperiatur; quod ſi reum aliquem ejuſmodi culpæ deprehenderit, graviſſimis pęnis afficiat, atque etiam, ubi opus fuerit, dummodo prius de hac re Nos admoneat, e Seminario deturbet.

Singulis diebus feſtis (p) hujus Cathedralis Noſtræ miniſteriis, Proceſſionibus, aliiſque Solemnibus Eccleſiæ Sacris, ut ex laudabili conſuetudine fieri ſolet, interſint, & in iis Clerum Sæcularem præcedant, ac denique ſingula præſtent, quæ a Sacra Tridentina Synodo ſunt conſtituta.

p] Conc. Tr. ibi. S. C. Rit. 21. Maij. 1620. & 1. Sept. 1607.

Cum vero ob tenuitatem redditunm Seminarium in aliqua rerum difficultate ſit, nec quenquam gratis alere poſſit, mandamus, ut quiſque, cum primum in Seminarium ingreditur, ad ineuntem ſemeſtrem pro alimentis ſolvat. Si vero Dei Optimi maximi beneficio ita res Seminarii aliquando augeatur, ut gratis aliquis ali poſſit, ea conditione id fiat, (q) ut datis quiſque vadibus ſpondeat, ſe pro impenſis ſoluturum, ſi a Clericalis vitæ ſtatu diſcedere in animo habebit.

q] Conſtit. Syn. Cen. hoc tit.

Quod vero ad Collegio neceſſaria comparanda, & ad mercedem laborum Præceptoribus, & Miniſtris a Nobis conductis tribuendam, nec non ad Juvenes alendos pares redditus ſunt neceſſarii; ideo (r) Concilii Tridentini, Sanctorumque Patrum auctoritate

r] Conc Tr. ibi § & quia. Conc. Vien. c. quia contingit. [illegible] Domibus.

ducti, detractam partem fructuum tam Mensæ Nostræ Episcopalis, quam Capituli, & quarumcunque Dignitatum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cujuscunque Ordinis non exempti, etiam Regularium Mendicantium, Hospitalium, & Beneficiorum omnium tam Curam Animarum, quam non habentium, aliorumque quoruncunque Proventuum Ecclesiasticorum, & quoruncunque aliorum juxta Sacrosancti Concilii Tridentini statuta, & Seminario applicatam ad modum Decimæ, statis temporibus Seminario solvi jubemus. Contumaces autem, & renuentes (*s*) per censuras Ecclesiasticas; & per alia Juris remedia juxta ejusdem Concilii formam ad Officium revocabuntur.

s) Conc. Tr. ibi § ad hanc Sac. Cong. Episc. 8. Mart. 1588.

(*t*) Horum vero reddituum, & aliorum omnium proventuum quotannis harum rerum ministri rationem Nobis reddere teneantur. Libri autem dati, & accepti duobus e Capitulo, totidemque e Civitatis Clero delectis, qui de iis cognoscant, subjiciantur, & Chirographo Nostro firmentur. Porro has Synodales Constitutiones, aliasque olim de Seminario perlatas, quas nunc quoque ratas habere intelligimus, non modo volumus, ut serventur, verum etiam ut singulis mensibus publice in Seminario legantur; ut quo magis memoriæ mandantur, eo acrius, quod summopere cupimus, retineantur.

t) Conc. Tr. ibi. § rationes autem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

DE EXORCISMIS.

(a) DÆMONES ingredi in humana corpora, & & ea identidem vexare solere, adeo ex ipso Evangelii, & sacrarum Litterarum testimonio verum esse intelligimus, ut id negare, atque adeo de eo dubitare nemo sine maximo errore, gravique Divini Testimonii injuria possit. Factum hinc est, ut & in veteri Lege ingens hoc vexationis Diabolicæ malum noluerit Dominus remedio carere; ideoque per ea quoque tempora Exorcistas, qui ex Corporibus Energumenorum Dæmonia expellerent, instituit, quod multo magis Ecclesia sua tam belle constructa confirmavit: ideo enim Filium suum nobis dedit, (b) *ut dissolvat opera Diaboli*, consilia infringat, fraudesque aboleat, ne unquam Portæ Inferi prævaleant adversus nos. Quapropter Redemptor Noster Christus & Magister, (c) cujus *universæ viæ misericordia & veritas*, (d) dedit discipulis *potestatem calcandi super Serpentes, & Scorpiones, & super omnem inimici virtutem*, (e) *ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem*. (f) *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, Dæmonia ejicient*, & quidem non *in Belzebub* sed in Venerabili Jesu Nomine, cui omne Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum Regnorum Potestates parere debent. Hanc itaque facultatem Infernis hostibus formidandam Filiis suis Ecclesia impertitur, (h) cum eos per Episcopum Exorcistas instituit contra Rectorem tenebrarum, eisque auctoritatem imponendæ manus super Energumenos facit: hujus equidem vi ac virtute, nisi (i) *propter incredulitatem* inanis reddatur & vacua, sic (K) Diabolus torquetur atque agitatur, ut licet (l) Pharaonis obstinationes & fraudes exerceat, ab obsesso recedere cogatur. Veruntamen cum hujusmodi munus hoc sit, ut gravem ætatem

a) *vide Pinamont. de Exorcist. ben. edoc. c. 5. §. 1. & ibi Cardi. Tolet. in c. 4. Luc. adnot.* 54.
b] *Joa.* 3. 8.
c] *Psalm.*
d] *Luc.* 10. 18.
e] *Matth.* 10. 1. & 12. 22. *Act.* 16. 7
f] *Marc.* 16 7.
g] *Matth.* 12. 27.
h] *c. Exorcista. dist.* 23. *c. Cleros. §. Exorcista D.* 21. *c. Perlectis dist.* 25.
i] *Matth.* 17. 18.
K] *c. Sacerdotes. & c. nec quenquam in fin. de Consecr. dist.* 4.
l] *Exod.* 14.

Digitized by Google

m] Synod. Metrop. Aq. de Exorcist. § Quare ī verbo. & Regul.
n] dic. Syn. Aquil. ibi in verbo sub pœna.
o] dic. Syn. Aquil. ibi. in verbo coram Conc. Med. de Exorc. § 3

tem, scientiamque & vitæ severitatem requirat, ideo Nos de ea verba facere, atque aliqua præcipere instituimus, ut ab iis, qui illud obierint, recte, ut par est, exerceatur.

Omnibus itaque tum sæcularibus, tum (m) Regularibus Sacerdotibus, Parochis quoque, & utcumque curam Animarum in hac Nostra Diœcesi habentibus non exceptis, (n) sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto etiam prima vice incurrenda, & absolutione Nobis tantummodo reservata, vetamus, ne in posterum manus Energumenis imponant, aut ne super illis, qui revera obsessi fuerint, vel ejusmodi esse videbuntur, Exorcismos faciant, qui prius ad Nos minime accesserint, seseque ad id idoneos (o) per examen probarint. Quæ quidem lex, & in illos a Nobis fertur, qui homines, quos maleficiatos, ut ajunt, esse fortasse existiment, per signa tentare audeant. Fieri enim potest, ut aliquando nimia Exorcistarum copia, aut imprudens aliquorum zelus, insolensque Exorcizandi cachoetes rudium hominum mentes perstringat, & ea sive Dęmoni, sive veneficio adscribantur, quæ ex naturalibus caussis, atque adeo ex ipsis Phantasmatis fieri sæpe vidimus.

Ut vero Lex hæc Nostra acrius retineatur, mandamus, ut post Mensem a die, quo perlata & edita fuerit, qui antea Exorcizandi a Nobis facultatem impetrarunt, ne audeant huic rei operam dare, nisi denuo eandem facultatem Nos illis concesserimus; omnes porro facultates usque huc habitas suspensas, & nullas declaramus. secus qui fecerit, pęnis a Nobis paulo ante intentatis, aliisque ad arbitrium punietur. Ii autem, quibus denuo per Nos Exorcizare licuerit, id ne faciant, nisi Parochos de hoc admonuerint, & impetratam a Nobis in scriptis facultatem ostenderint; alias in easdem incidant pęnas.

p] vide in Rit. Rom. form. Benedi.

Excipimus tamen illas Benedictiones, quæ super Ægros fieri solent, quæque (p) in Rituali Romano continentur: quæ cum Parochis non interdicantur, vel iis, quorum opera vicaria Parochi utantur, interdicuntur tamen ceteris Sacerdotibus omnibus cujuscumque conditionis, qui in Jurisdictione Nostra sunt, aut a Parochis facultatem non obtineant. Ii tandem, quibus potestas benedicendi sit, ea tantum in propria Jurisdictione utantur, serventque illa omnia, quæ in Rituali Romano præscripta sunt: secus qui fecerit, a lege perlata ne eximatur.

q] Suarez. de Fide disp. 8. Sec. 1. n. 3.
r] Matth. 24. 36.
s] Marc. 9 29.

Cum autem ad Dæmonum vim infringendam sit fides maxime necessaria, quæ porro (q) talis sit, ut indubitate credatur Dei omnipotentia, ejusque, cujus (r) *verba non præteribunt*, infallibilis veritas promissorum; cumque (s) aliquod *Dæmoniorum genus, nisi in Ora-*

Digitized by Google

in Oratione & jejunio non ejiciatur, utraque se exorcistæ muniant & præparent, antequam ministerium subeant: Equidem, (t) *quod non semper accidat, ut invocato nomine Jesu Dæmon vincatur, minima fides invocantis est caussa*. Illa insuper præstent diligenter omnia, quæ a Christo Domino præscripta sunt: jam vero (u) cum prius viderint, an naturalis sit morbus, an Diabolicus, obsessum in Fide firment; (x) *adjurati enim Dæmones vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat*, rebusque omnibus, quæ necessariæ esse videntur, instruant; atque ita hominem eum disposuerint, Dæmonem increpent, urgeant, impellant, ut erumpat, nihil aliud nisi id, quod ad finem propositum facit, inculcantes; sit enim, ut illa præcepta, quæ vel opponuntur huic fini, vel ad ipsum non tendunt, sint aut illicita, aut vana. In primis autem in Nomine Domini ejiciant; (y) *Ipse enim Dominus ascendens in Cœlum promisit, se nunquam illorum invocationi defuturum dicens* (z) *In Nomine meo Dæmonia ejicient*. Cetera omnia a gravioribus Auctoribus, qui de hac re scripserunt, ediscant.

t) *Alph. a Castr. 5. de Exorc. relatus a Pinam. loc. cit. c. 6.*

u) *ex Pinam. loc. cit. c. 7. & 9.*

x) *Cyprian. tract. 4. de Idol. vanit.*

y) *dic. Alph. de Castr. loc. cit.*

z) *Marc. 16.*

Quod ut securius præstent, ne ab aliquo decipiantur, naturali potius, quam Diabolica infestatione agitato, priusquam manus super Obsessos imponant, Medicos consulant, eorumque capto judicio, cum illo ad Nos veniant, qui cognita per Theologos materia, quidquid magis expedire videbitur, statuemus.

Nunquam ante Solis Ortum, aut post ejus Occasum exorcizetur; nunquam, nisi gravi de Caussa, in privatis Laicorum ædibus, (A) semper vero in Ecclesiis, conspicuoque in loco. Viri ętate, prudentia, & Religione præditi tantum spectatum admittantur, & tumultuantium turba evitetur: in Ecclesiis vero Monialium nullo unquam tempore fiat. (B) Ubi autem mulieribus id acciderit ita caute agatur, ut minus honesta ne audiantur, vel dicantur: Fœminæ præterea moribus, gravitate, & ætate satis spectatæ, eęque, si fieri potest, vel maxime Energumenæ conjunctæ curetur, ut adsint.

A) *Rit. Rom. loc. cit. § ad Ecclesiam.*

B) *Rit. Rom. ibi. § Mulierum.*

Cavendum præterea, (C) ne turpis lucri, quæstusque gratia munus Spiritus Sancti exerceatur, (D) sed *in Nomine Jesu Christi*, qui eos confortat, omnia sperantes non humana, sed Divina lucrari quærant, qui hoc ministerium adimplent. Si quem autem pecuniam, mercedemque ullam exegisse reperiemus, in Simoniacis erit, gravissimasque pœnas Jure intentatas Nobis dabit.

C) *Concil. Mediol. loc. cit. § ultimo*

D) *ad Philipens. 4.*

Qui Ordine Exorcistatus non erit insignitus, illi nunquam (E) munus hoc obire licebit; quare Laicis Exorcismos facere, Ægros

nusquam inde oculos dejicere debeant: Quare qui, (e) Mercenariorum in morem, non residentes eum deserunt, in caussa sunt, quamobrem disperdatur, & pereat. Nos igitur (f) Conciliorum, Sacrorumque Canonum legibus obtemperantes decernimus & sancimus, ut quisquis in hac Nostra Diœcesi, utcumque Beneficium Ecclesiasticum habet, cui Animarum Cura conjuncta sit, in eo residere teneatur; non enim custodit oves, aut bene pascit, qui per montes vallesque illas errare patitur, quique aliis negotiis distentus rapacibus Lupis (g) circum, quam devorent, perquirentibus expositas deserit.

Nemo itaque, nisi Nobis annuentibus, audeat a sua Parochia discedere, neve ultra binos per singulos annos menses, [sive id spatium temporis continuum sit, sive aliquo intervallo interruptum] abesse; quod quidem vix & ęgre, etiam ob graves caussas concedemus. Quod qui non præstiterit, (h) præter lethale peccatum, quo se obstrinxerit, pro rata temporis absentiæ fructus ne capiat, neque eos sibi retinere possit, quin conscientiæ stimulo agitetur: Jus enim est, ut fructus male parti vel in Ecclesias, vel in pauperes erogentur. Quod si malo dolo neglexerint, (i) ex Sacri Concilii lege, utcunque de fructibus male partis conventum fuerit, per Nos in judicium rapientur: contumaces vero, qui nunquam resideant, etiam Censuris Ecclesiasticis, aliisque a Jure intentatis, & ad arbitrium pęnis plectemus. Quod si vocati non redierint, (k) aut de caussa, quamobrem non pareant, certiores Nos minime fecerint, Beneficio privabimus.

Verùm si aliquid caussæ habuerint, cur alio discedant, & per aliquot dies absint, a Vicario Foraneo, in cujus Jurisdictione sunt, Vicarius autem ipse a Viciniore, licentiam petant: (l) Ubi autem ultra decem dies abesse contigerit, a Nobis illam petant per scriptum concedendam. Si vero repentina aliqua discedendi necessitas exciterit, qua impediantur, quo minus ad Nos accedant, de illa caussa, & de discessione Vicarium Foreneum, vel viciniorem Parochum moneant, qui nos vel per se, vel per litteram de utraque certiores faciant intra dies octo. Numquam tamen, nisi gravissimis de caussis, ultra duos menses Parochos a sua Ecclesia abesse patiemur.

Porro dum a Parochia abesse contigerit, ita Ovibus sibi commissis provideant, ut nullum detrimentum ex ipsorum discessione capiant. Vinea enim Domini in vastitate & solitudine si relinquatur, ubi pascant, ubi cubent haud oves reperient. Quapropter (m) optimi alicujus Sacerdotis vicaria opera utantur qui a Nobis

e] *Act.* 20.
f] *Conc. Tr. Sess. 6. de Ref. c. 1. & Sess. 23 de Ref. c. 1. § ne vero. c. quia nonnulli, & c. relatum, & c. conquerente. & c. ex parte & c. inter quatuor, & c. Clericos. de Cleric. non residen.*
g] ex 1. *Petr.* 5.
h) *Concil. Trid. dic. Sess. 23. ibi. § eadē omnino.*
i) *Conc. Tr. ibi. § si quis autem. c. si quis vero & c. si quis Presbyter.* VII. *q.* 1.
k] *Conc. Sar. dic. c. 14. c. inter quatuor. de Cleric. nō resident. c. extirpādæ § qui vero. & c. ex tua § contra eos. de Prebend. & dignitat. Pius V. Cōst. cupientes.*

Digitized by Google

l) S.C.Cõc. 11. Febr. & 16. Decemb. 1628. Barbosa de Parochis p.1. c.8.n.52.& 58. & 59.

m) ex Jere. 12.

n) Conc.Tr. loc.cit.§ interea.

o) Conc.Tr. loc.cit.§ eosdem.

Conc. Agat. c.39.

c.Si quis in Clero VII. q.1.

p) ad Colos. 1.11.

q) vide per omnia cap.de Sacram.

r) c. de verbi Dei prædi. & c. de doct. Christ.

s) c.dispensatio.dist.43.

t) can. Apost.51.

u) Joan.10 12.

x] Concil. Tolet.4.c.24

y) ex Div. Aug.epist.de Pastori,

Nobis administrandorum Sacramentorum facultatem habuerit. Veruntamen (o) neque per adventum & Quadragesimam absint, neque per dies festos Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Titularis Ecclesiæ, ac Dedicationis, quo tempore Populus Cęlesti pabulo enutriri, & Sacramentorum thesauris a Parochis locupletari debet.

Domicilium habeant in Parochialibus ædibus; quæ si vel casu aliquo, vel vetustate vitium fecerint, in iis commorentur, in quibus facile Ecclesiæ negotiis, populoque universo præsto esse possint. Quas si eos conducere oportuerit, ab illis conductionis pretium exigant, qui sartas tectas ędes Parochiales præstare debent; ęquum enim est, ut & Pastorem Ovile tegat. Domus vero injuria temporum labefactatæ, Fabricæ, quam dicunt, impensis reparentur. Ubi vero deliciarum caussa ornamenta quę tantum inserviant superfluitati, exquisierint, ære proprio id Parochi efficiant.

Jam vero quid polliceri, quidve præstare debeant Animarum Pastores, ut (p) *in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei* Gregem sibi commissum custodiant, passim, jam diximus (q) in hisce Nostris Synodalibus Constitutionibus: Ad prædicationem etiam quod attinet, (r) quę sint eorum partes, alias explicavimus; (s) dispersio enim Cœlestis seminis credita est Parochis; quod si leviter aut oscitanter egerint, jam (t) ab Apostolis condemnati sunt: (u) Pastor quippe verus is est, *qui ponit Animam suam pro Ovibus suis*, cui autem de Ovibus cura non est, ille non est Pastor, sed Mercenarius. (x) Bonorum præterea operum, & honestatis exemplo, quod caput est, Oves pascant; (y) qui enim male vitam instituunt, oves necant, neque ædificant supra petram, qui sic ædificant, sed supra perditionem; (z) Petra autem est Christus, prava exempla perditio. Ne itaque, quod verbo ædificant, moribus destruant, neve (A) *Vox Vox Jacob sit, manus autem Esau*; in homines enim huiusmodi illud Domini monitum perbelle veniret. (B) *omnia quaecunque dixerint vobis, facite, secundum autem opera illorum nolite facere.*

Quæcumque Sacramenta, quæ vere Ovium Christi Pabula sunt, Parochi ministraturi legibus pareant, quas de ipsis alio loco pertulimus; habent enim præceptum a Lege (C) *Observabitis caeremonias*, qui Dominum elegerunt, (D) ut sit eorum Deus, & ambulent in viis eius; quare illos quoque ne negligant (E) Caveant in primis, ne Sacramenta petentibus tam facile denegent, ita ut Divinæ bonitatis beneficiis aliquo animi dolore Populos fraudent: (F) *Væ Pastoribus, qui dilacerant & disperdunt Gregem Domini, &*

eum

eum a pascuis ejiciunt: visitabit Deus super malitiam eorum, & ad Judicium Domini cum adducentur, ex directo & aspero de hac re rationem ut reddant, desideramus. Pro dolor! (G) pascere semetipsos, lac comedere, & lanis operiri, Gregem autem Domini, Sangine innocentis Agni madefactum, ut in dies magis magisque pinguescere possit, fame sitique necare? meminerint, (H) quod desperata die Dominus adveniet, eosque a bonis, quæ spoponderat, dividet, portionemque eorum in æternitate pœnæ constituet, quia commissam eis familiam fame, siti, cede vexaverint. Porro, ne calumniam aliquam injiciant, & vel se se aliquo cavillo tueantur statuimus, ut nemo audeat aliquem neque publicum peccatorem declarare, neve veluti Sacramentorum indignum proscribere, nisi Nos de caussa, cur id Consilii capere cogantur, certiores fecerint: Qui non paruerit, gravissimis pęnis, & etiam suspensione a Divinis plectetur.

In iis Parochiis, in quibus Parochus unus multitudini Populorum satis esse non potest, (I) unum & alterum pro re nata sibi coadjutorem adsciscant, qui ex nutu Nostro & Sacramenta ministrare, & Divinum exercere cultum queant in Ecclesia. Id tamen secum reputent eos adjutores appellari, ipsos vero Parochos & Pastores; nam de Pastorum manibus commissum Gregem requiret Dominus: **Præcipua igitur munia**, (K) videlicet fontis renovationem, Ramorum, Cinerum, Candelarum, Nuptiarumque Benedictiones, Processiones publicas, Ss: Sacramenti Eucharistiæ ministrationem tempore Paschatis, aliaque similia, nisi gravioribus curis distineantur, ipsi per se semper obeant & exequantur.

Quod si eadem de caussa, aut ob aliquam perpetuam unionem duobus data sit ejusdem Ecclesiæ ministratio, (L) ita uterque in negotio se se gerant, ut inter Pastorum multitudinem fame Dei Oves ne pereant. Quanquam autem alternis hebdomadis soleat alteruter in Ecclesiæ administratione esse, hoc tamen de usu Stolæ deque solemnibus sacris esse intelligendum sancimus; nam ad Sacramenta quod attinet jus esto, ut semper uterque in iis ministrandis laboret. Eos itaque etiam atque etiam oramus & obsecramus, ne turbas excitent, neve litigiosas disputationes, rixasque super hoc habeant. Quid enim aliud esset sibi magis, quam Ovibus inservire, si hoc non esset? Quare (M) *Charismata meliora* ęmulentur, ne unquam a Domino reprehendantur. (N) Grex *perditus factus est Populus meus, Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus*: erraverunt Greges mei, & non erat qui requireret eos: (O) *Væ Pastoribus Israel, qui semeptisos pascebant, Gregem autem meum non pascebant*.

z] I *Corint.* 10. *B.*
A] *Genes.* 27. 22.
B] *Matth.* 23. 2.
C] *Exod.* 12.
D] *Deuter.* 16.
E] *c. libenter. & c mul. tiplex § si autem. de pœniten. dist.* 1.
F] *Jere.* 23. *v.* 1.
G] *ex Ezech.* 34.
h] *ex Div. Hilar. com. in Matth. can.* 16. *in fine.*
I) *Conc. Tr. Ses.* 21. *de Ref. c.* 4.
c. final. de Eccl. ædific. c. & tempo. ris XVI. *q.* 1.
K) *S. C. Rit.* 18. *Maij,* 1602.
L] *vide in tit. de Sac in gen. § Ubi cura.*
M) I. *Cor.* 11.
N] *Jer.* 5. *v.* 6:

M Pro

O] *Ezech.* 34. 6. *&* 7.
P] *Joan.* 10 *lit. c.*
Q] *Conc. Prov. Medi. de dilig. Parocho. §. observabit.*
R] *Vide in titul. de doct. Christ.*

Pro Ovibus vero suis excubare semper ac vigilare cum debeant Parochi, (P) suasque, Divinum Pastorem imitantes, cognoscere, si Advenas & Peregrinos Parochiæ fines ingressos esse, intellexerint, (Q) statim de eorum Patria, moribus, vitæque institutione perquirant; de Religione, deque Fide Orthodoxa interrogent; Feminas secum si habeant, quas se jam in Uxores duxisse dictitent, inquirant, an legitimæ & juxta Ritus sint Nuptiæ, necne; videantque in omnibus, num tales sint, ut inter Oves Christi valeant enumerari: Siquid aut incommodi, aut mali deprehenderint, statim Nos, ut par est, certiores faciant.

S] *ex Conc. Prov. Med. loc. cit. § Parochi.*

Stata hora, & Campanæ sonitu convocato Populo vesperas diebus festis canant, (R) quibus persolutis, Beatiss. Virginis Mariæ Rosarium devote recitent, aliasque preces & Orationes, juxta Ecclesiarum consuetudinem cum credito sibi Populo Deo Optimo Maximo effundant; cui deinde cum benedixerint, in Domino eum dimittant.

T) *vide in tit. de Sacr. Bapt. Confir. & Matrim.*

(S) Librum habeant, in quo singulorum, qui in Parochia sunt, nomina & cognomina, vitæ conditionem, statumque describant, & hæc omnia ad Nos quotannis ad dies Pentecostes deferant, foliis consuetis, & ordine per Nos inducto descripta. Item alium, in quo mortuorum nomina & tempora, ad Regulas Ritualis Romani notent; itemque illos omnes, (T) de quibus alibi satis diximus.

V] *Consti. Sy. Cen. hoc. tit. n.* 20.
X] *ad Ti. moth.* 2. *A.*

Vicinior Parochus (V) Parocho vel gravi morbo laboranti, vel morienti præsto sit, & Sacramenta ministret; Ejus vero funera Parochi omnes ejusdem Vicariæ efferant; Confratres enim sunt, & alter cum altero caritatis habet obligationem. Prædecessorum autem recens defunctorum anniversarium singuli Parochi celebrare ne negligant.

Y] *ex Act.* 20. 27.
Z] *ex I. Corint.* 3.
Aa] *ex I. Corint.* 14.
Bb] *Conc. Cartag.* 4. *c.* 41. *c. Clericus.* 1. *dist.* 91

In Conciliis denique, factisque omnibus sic sese gerant Parochi, ut profiteri ubique possint (X) ***coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius & Regnum eius***, (y) se mundos esse a sanguine omnium, neque ullum consilium Dei annuntiandum & verbis & exemplis subterfugisse. Quare ne nimiam habeant cum Populo consuetudinem, omnesque comissationes, & ludos cum ipsis effugiant; sed sicuti (z) Dei sunt adjutores & ædificatores, ita (Aa) Ædificationem solummodo quærant. (Bb) domi Orationibus studiisque, quoad ejus fieri poterit, vacent: sæpissime in Templo, perraro in foro videantur: in docendo suaves, in præcipiendo & corrigendo misericordes se præbeant: divinum imitentur Pastorem, qui pro Ovibus suscipien-

Digitized by Google

piendis (Cc) *humiliavit semetipsum usqe ad mortem, mortem autem Crucis*: pessimam Animarum labem avaritiam summo odio habeant, quæ menti tenebras cum offundat, a recta Ecclesiæ administratione animum revocat, efficitque, (Dd) ut propter pugillum hordei, fragmenque panis violetur Dominus, & Animæ, quæ non moriuntur, interficiantur. (Ee) *Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudolenter*; (Ff) Dominus enim odio habet rapinam in holocausto. Morum innocentiam, pudorem, & honestatem quam maxime colant, ne ipsi, (Gg) qui judicant, talia agentes ea faciant, propter quæ graviora Judicia Dei non effugiant; neve cœno, quo alios purgare debent, inquinati videantur. (Hh) Populorum lites componant; miseris opem ferant, indoctos erudiant, errantes ad frugem revocent, contumaces arguant, Paternamque Benevolentiam in singulos navent. Advertant tandem, quod (Ii) *declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniqutatem*; quare (Kk) *Pascant Gregem Dei non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis ex animo, ut cum apparuerit Princeps Pastorum percipiant immarcescibilem coronam Gloriæ*, quam omnibus dilectis Parochis Nostris summopere desideramus.

Cc) *ad Philipens. 2.*

Dd] *ex Ezech. 34.*

Ee] *Jer. 48*

Ff] *ex Isai. 61.*

Gg] *ad Ro. 2. v. 3.*

Hh] *c. Ut singulç de off. Archi.*

Ii] *Psalm. 124. v. 5.*

Kk] *I Petr. 5.*

§

DE ECCLESIIS FILIALIBUS.

CUM Summi Pontifices de hac re semper soliciti fuerint, ut Christi Ovibus, (*a*) super quas considerare debent, uberiores in dies fontes, & plura prata aperiantur, in quibus semper virentes herbæ appareant, & progignantur; cumque sæpe sæpius intellexerint (*b*) ob distantiam Parochialium Ecclesiarum, quæ numero essent paucæ, plura Animabus pericula creari posse; perducuntur enim pereuntque Oves, ubi nullus Pastor sit, (c) qui saturet esurientes, curet Infectas, recreet infirmas; curarunt, quantum in ipsis fuit, ut aliæ Ecclesiæ instituerentur, quæ Populorum usui ac necessitati commodo essent. Quę quidē ita ab illis, quę antea institutę fuerant dependerēt, ut veluti

a) *ex Prov. 27. v. 24.*

b] *c. ad audientiā 1. de Eccl. ædific.*

c] *ex Ezechiel. 34. v. 4*

Matres eas susciperent, seseque Filias appellari facile paterentur.

Verum enim vero sæpenumero per summum dedecus Filiales Ecclesias Matrices ita odisse intelligimus, ut quem illis (*d*) ex Sacrorum Canonum Conciliorumque institutis honorem debebant, denegarent. Quæ incommoda sane gravia omnino ut tollantur, Lege sancimus, ut statis diebus, *omissa quacumque contentione*, *Filiales ad Matrices pergant*, *ibique*, (e) *quæ ex Jure & consuetudine illarum sunt*, *exequantur*. Quod quidem ipsi filiarum Ecclesiarum Rectores, nisi gravi morbo laboraverint, per se præstare teneantur, neque ullius opera possint uti. In morbum vero si inciderint, testimonium Medicorum, vel aliorum fide dignorum, juramento firmatum, per scriptum ad Matricum Rectores deferant; alias porro executiones, seu impedimenta omnino rejicimus, dummodo talia non sint, quorum remotio sit impossibilis. Secus qui fecerit, & huic Nostræ legi parere renuerit, pęnam suspensionis a Divinis ipso facto incurrat. Æquum enim est, ut, quæ subditę sunt Ecclesiæ, in subjectionis signum tributa præstent, (*f*) & qui honores Ecclesiarum subierunt, onera quoque perferre patiantur.

Porro Ecclesiarum Matricum Rectores & Parochi iis diebus, quibus Ecclesiæ Filiales ad eas venire contigerit, ita opportune functiones transigant, ut Parochi, qui convenerint, ad proprias redeuntes Ecclesias, munia earundem exequi possint: quod quidem, pro prima vice, sub pęna decem Ducatorum Venetorum, piis usibus applicandorum eis indicimus, subinde graviores etiam ad Nostrum arbitrium imponentur. Hinc caveant Parochi, qui ab Ecclesia Matrice Cerea benedicta die Sabbati Sancti ad propriam Ecclesiam asportant; ne amplius ea benedicant; inanis enim & contemptibilis esset hęc nova benedictio.

d] Cōc.Tr. *Sess.* 21. *de* Ref. *c*.4. & *c* 7. *Dic. c ad audientiam. in verbo ut competens.*

e) *c.Constitutus de Relig.domibus. c.Dilectus. deCapel.*Mo*nach.* *Barbosa in dict.c. dilect. tom.6.f.*178.

f] *argum. in c.omnis anima.de Cẽs.* *Argum.in. c. qui sentit onus. de Reg. Iur. in 6. & ibi in Glos.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

DE CONGREGATIONIBUS PAROCHORUM.

QUI ceteris præsunt, ut eos ad vitam æternam quasi manuducant, non minus ea docere oportet, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, quam (a) illa investigare ac discere, quæ ceteros debent docere. Ut igitur id quod præcipuum in eorum officio esse videtur, facilius exequantur, frequentiores conventus sæpe adeant, ubi de rebus divinis differitur, quarum cognitione animum instruant & ornent, Fit hinc, ut in præsentiarum singulis Parochis præcipiamus, ut in eorum Congressum Collegiumque veniant, qui de rebus ad mores pertinentibus disputationem instituunt: ita enim quę ad Animarum curam scitu sunt necessaria, quæque ad validam Sacramentorum administrationem faciunt, percommode discent, (b) sapientesque Plebem suam erudient, & fructus sensus illorum fideles erunt.

a) *ex Div. Hieron. Epist. ad Rustic.*

b) *ex Eccl. 37. 26.*

Quod ne omnino negligatur, efficiant Vicarii Foranei, quod ex obedientiæ lege præcipimus, (c) ut singulis mensibus in Jurisdictione sua Parochorum congressus de rebus moralibus, colloquiumque habeatur: eos tamen menses excipimus, quibus vel adverso anni tempore, vel viarum asperitate Parochi impediantur, quominus conveniant. Parochos itaque sibi subjectos quotannis apud se convocent; hinc gradatim singulis tempus, statumque diem pro congressu designent: hoc tamen ordine, ut, anni cursu confecto, congressuum quoque circulus perficiatur. Parochi vero, si non paruerint, (d) decem Ducatorum Venetorum pœna mulctentur, qui in Confratres distribuantur, aliisque ad Nostrum arbitrium. Porro teneantur Vicarii Foranei Contumacium nomen deferre, quod si

c) *S. Congr. Episc. 13. Oct. 1592. S.C. Conc. 18. Mart. 1598.*

d) *Const. Syn. Cen. hoc. tit. num. 2.*

renuent,

Digitized by Google

tenuent, post decem ipsos dies, cuilibet Parocho locus erit deferendi, & ipsi Vicarii ob negligentiam eadem pœna punientur.

Simul ac quilibet Parochus diem ad Congressum præstitutum fuisse intellexerit, ceteros Confratres admoneat, iisque quæstiones, de quibus erit disceptandum mittant, ne quis imparatus accedat, neve contentionibus, rixisque potius, quam doctrinæ & veritati locus detur. Quæ quidem disputationes, si ex opinione potius, & ob ingenii ostentationem, quam ad veritatem & scientiam suscipientur, nihil aliud erunt, (e) nisi inanes vanorum hominum strepitus, & furiosorum rumor, atque tumultus, ejusque sapientiæ genus illud, quod omnino Apostolus (f) reprobat.

Suum sibi quæque Parochorum Congregatio per secreta suffragia Cancellarium, ac Primicerium deligat, qui se Nobis intra mensem a die electionis idoneum probet, & Nostram recipiat Benedictionem; quem locum, per annum vel etiam per biennium confirmatus, obtinebit. Hic acta Congregationis in libro ad hoc parato custodiat; Confratrum nomina describat, expensas & redditus, si qui fuerint, annotet, ac præcipue omnes decisiones casuum & quæstionum in libro ponat, singulasque ad Nos, finito circulo, quotannis deferat, ut de iis cognoscamus, sub pœnis ad Nostrum arbitrium.

Conventu ad statum diem facto, qui ne dies festus esto, ut ne Parochialis Cura impediatur, Parochi omnes Talari veste, & superpelliceo induti ad Ecclesiam conveniant, ibique, si id commode fieri potest, eorum aliquis Concionem habeat: deinceps Conventualis Missa vel ab ejus Ecclesiæ Parocho, vel a Primicerio celebretur: tum Processio per Cæmeterium cum institutis parentationibus, & Defunctorum absolutionibus fiat; Hymnoque Spiritus Sancti cantato, & ceteris rite peractis, Laicis omnibus remotis, Conventus in Sacristia fiat. Primicerius ibi quæstiones proponat, de quibus ex ordine erit differendum: novissimum locum in Possessione qui habuit, primus omnium disputationem instituat, ceterique deinceps alius ex alio differant. Vicarius Foraneus, (g) qui semper in Congregationibus ceteris præesse debet, ultimus quasi disceptator & decisor verba faciat. Siquis vero vel minus decenter indutus, vel imparatus accesserit, pœna (h) unius Ducati Veneti, in pios usus Congregationis deducenda, a Vicario mulctator; ipseque Vicarius, si connivebit, eadem pęna puniatur, Parochisque omnibus negligentes accusandi jus esto.

Si quis autem Parochorum aliquid habeat, de quo cum ceteris deliberet, & de re aliqua, quæ ad rectam Sacramentorum administratio-

(e) ex D. Ber. sup. cantic. serm. 36.

(f) I. Corint. 1. v. 18.

(g) S. C. Rit. 17. Novēb. 1600. plures declarationes de præcedentia Vicarior. vide in Sy. Aq. hoc. tit. § ult. in fine.

(h) Syn. Aquil. hoc tit. num. 12.

ſtrationem pertineat, fortaſſe dubitet, facile patimur, ut, petita a Vicario facultate, in medium proferat, ceteroſque conſulat. Ubi autem aliquid tam obſcurum fuerit atque difficile, ut Vicarii uno, ut ajunt, pede ſtantes nequeant de eo decernere ac deliberare, ſententiam Nos rogent, rationes ultro citroque allatas proferant, ut & Nos Noſtris Theologis conſultis, quod obſcurum fuerit, explicare poſſimus.

Res laudabilis erit, ſi Parochi feſtis diebus, qui erunt ante Congregationem, populos adhortentur, ut Proceſſionibus, aliiſque Divinis rebus interſint, & indulgentiam quadraginta dierum a Nobis id exequentibus conceſſam promulgent.

Rebus Divinis, ſacriſque omnibus peractis, Parochus apud quem Conventus factus fuerit, ceteros ad prandium vocet, caveatque, ne Laicus ullus accumbat, neve inanes ſermones, qui Sacerdotum gravitatem offendant permiſceantur. (i) Sunt enim Caritati convenientia convivia, in quibus nulla abſentium vita mordetur, & nemo ex irriſione reprehenditur; neque in iis inanes ſæcularium negotiorum fabulæ, ſed verba ſacræ lectionis audiri debent. Cibis menſæque benedicatur, & juxta Canonum leges locus aliquis ſacræ Scripturæ legatur, ut vel ipſæ mentes Cæleſti pabulo enutriantur; (K) Hymnoque poſt refectionem ad exemplum Dominicæ Cænæ dicto, inter ſalutaria colloquia (l) a nimio vino ſe temperent, a turpibus jocis ſe abſtineant, ſicque in omnibus ſeſe gerant, ut ne miniſterium eorum ullo unquam tempore vituperari poſſit. (m) Frugalis itaque Menſa ſit, qua corpus recreetur, nec nimiis dapibus ita gravetur, ut Animam obruat. Sicuti enim de hujuſmodi Conventu Paulus Corinthios (n) reprehendit, qui inconvenienter Cænam dominicam manducare convenerant, ita qui ad collationem verbi [dominicam ſane cænam] pro re nata conveniunt, & in ſpecie veritatis ventris cauſſa congregantur, reprehenſibiles coram Deo & hominibus habentur. Quare ex virtute Sanctæ obedientiæ, intentantes etiam pœnam duorum Ducatorum Venetorum in pios Congregationis uſus deducendorum præcipimus Parochis omnibus, & mandamus, ne immoderatas in Prandiis impenſas faciant, neve ultra panem & vinum binas in ſingula capita libras, (o) rationibus omnibus computatis, impendant. Id vero omnino ne fiat, Vicarii cavere debeant, quorum erit efficere, ut lex hæc Noſtra omnino ſervetur, nemine excepto. Si quis non paruerit, ad Nos Vicarii deferant, ut pœnas intentatas ab eo repetamus: ipſi vero, ſi neglexerint, & obedientiæ legem infringent, & graviſſimas pœnas dabunt.

(i) *c. convivia diſt.* 44. *c. nullus Presbyter. & c. quando autē. ibi.*

(K) *Marc.* 18.26.

(l) *dic. cap. nullus Præſb. diſt.* 44.

(m) *dic. cap. convivia in fin. & c. quādo Presbyteri diſt.* 44.

(n) I *Corint.* 11.

(o) *ex Syn. Aqu. Metr. hoc. tit. n.* 10

Si quæ

Si quę decernere opus erit ad bonum Congregationis regimen pertinentia, liceat Parochis facere, dummodo a Vicariis constituantur, Nobisque probentur. Laudabile insuper ducimus, (p) pios ac devotos Laicos in Societatem cooptare, & in alicuius Patroni Cœlestis tutela Congregationem ponere.

p) Constit. Syn. Cenet. hoc. tit.

Omnium Congregationis Sacerdotum Confratrum teneantur Parochi, (q) ut diximus, adesse funeribus, ac pro eorum Anima Sacrificium offerre. Moneant quoque Confratres laicos, si qui sunt, ut pro iisdem Deo preces offerant. Laicorum funera Confratrum per preces Deo oblatas efferantur.

q) tit. de Paroch. § Vicinior.

Et quia Clerus Urbis hujus ceteris Clericis totius Diæcesis sese exemplum præbere debet, Moralium disputationum usum, & disputantium Congregationem in Urbe institui jubemus. Quæ quidem eas leges, & ejusmodi exercitationum genus habebit, quod Nos post acta Synodalia præscribemus.

§

DE VICARIIS FORANEIS.

a) c. 1. & c. ad hæc de Offic. Archi. § subsequenter. C. in novo dist. 21. in fin.

Ut eá, quæ per Nosmetipsos obire non possumus, per alios saltem transigamus, & ut pro Grege Nobis commisso utcumque semper vigilemus, (a) Vicarios Foraneos per Diœcesis fines delegimus, qui, nisi omnia, quæ illis commiserimus, exequentur, Deo rationem reddituri sunt. Eos enim cooperatores habemus in Evangelio Dei, & vineæ hujus Domini laboratores. Rogamus itaque eos in Domino & obsecramus, ut diligenter suo munere fungantur, ut sicuti ceteris dignitate præfulgent, ita & diligentia præeant.

Quare omnia, quæ ipsis hisce Nostris Synodalibus Constitutionibus præscripsimus, in primis perficiant, curentque, ut, qui in eorum Jurisdictone sunt, singula, quæ in eisdem, atque adeo in Diæcesis perlustratione decrevimus, exequantur. Siquos autem aut negligentes, aut renuentes deprehenderint, ex virtute Sanctæ obedientiæ, ad Nos deferant, ut compellamus.

b) ex Conc. Med. Prov. de Vic. Foran. § quoties.

(b) Quoties in Urbem venerint Nos adeant, deque eorum statu qui sibi commissi sunt, accurate moneant, siquid autem incommodi in eorum Vicaria erit, cui remedium adhiberi debeat,

Digitized by Google

beat, Nobis patefaciant. (*c*) Cum vero præcipuum eorum munus sit supra Parochos, & supra Clerum vigilare, futurum intelligant, ut, (*d*) si oculos habebunt, & non videbunt, in indignationem Nostram, atque adeo in Divinam incident: Porro Nos ad Divinum Tribunal de eorum negligentia graviter conqueremur.

c] *d. c. ad hac.loc.cit.*

d] *Ex psal. 113. v. 13.*

(*e*) Quotannis Ecclesias suæ Vicariæ perlustrare teneantur, quod si neglexerint, mulcta viginti Ducatorum Venetorum piis operibus locisque applicanda, aliisque pœnis ad Nostrum arbitrium etiam privatione officii punientur. De rebus singulis cognoscant, quidque ad rectam Animarum gubernationem pertinet, attente videant, (*f*) in primis vero de Doctrinæ Christianæ studio, quod etiam atque etiam eis commendamus, inquirant. Qua lustratione quotannis peracta, statum Vicariæ ad Nos deferendum conficiant: ubi vero ad Nos venerint hoc executuri, humaniter a Nobis ac benigne recipientur, & in hac Nostra Episcopali Residentia apud Nos erunt. Excipimus tamen a Visitationis lege eos, qui gravi aliquo impedimento sunt irretiti, vel qui prope ętate confecti, ut Vicariam circumire nequeant: hi vero toties quoties visitandum erit, auctoritate Nostra aliquem de Confratribus substituant, qui iisdem legibus id adimplere teneatur.

e] *ex d.Cōc. Med.ibi.§autem.*

f] *vide in c. de doct.Chri. § ult.*

(*g*) Porro Parochi, Curati, Sacerdotes, Clericique omnes in hac Nostra Dięcesi degentes, quavis dignitate ornati, ex virtute Sanctæ obedientiæ, pœnas alioquin ad arbitrium Nostrum daturi in iis, quæ ad officium Vicariorum spectant, iis obtemperent; eamque in ipsis auctoritatem revereantur, quam Nos eis dedimus: vices enim Nostras gerunt, Nostrumque ministerium opera Vicaria transigunt.

g] *ex Syn. Aquil. hoc. tit § 2. in fine. ex Conc. Med. Prov. loc. cit. § Curati.*

Digitized by Google

466

CAPUT XXI.

DE BENEFICIIS.

a) *Cōc. Tr. Sef.* 25. *de Ref. c.* 3.
b] *ex* I. *Corint.* 9.
c. Ecclesias: § *decimæ*. XIII. *q.* 1. *c. convertimi. & c. decimæ* XVI. *q.* 1.
c] *Psal.* 103
d) *deutor.* 14. & 16.
e] *c. de decimis* XVI. *q.* 1. *dic. c. Ecclesias loc. ci.*
f] *c. in cūctis.* §. *Inferiora. de electione.*
g) *Litt. Pastor. Nost. dignum quę in Calce Sy. habetur.* 21. *Nov.* 1711.
h) *ex Isai.* 6. *l. c.*

(a) AD cultum Divinum, atque adeo ad Ecclesiastica munia obeunda Beneficia sunt instituta; per quæ quidem (*b*) qui plantat Vineam, de fructibus ejus comedat, & qui pascit Gregem, de lacte Gregis manducet; qui enim in Sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edant, quique Altari deserviunt, cum Altari participent æquum est. Primævis quoque temporibus, ubi primæ vigebant leges, (c) *humus fœnum jumentis, & herbam servituti hominum* producebat; Jumentis quidem aratrum ferentibus, & hominibus colentibus: Et Levitæ, qui cum Populis morabantur, (*d*) & intra eorum muros habitabant, de eorum decimis co nedebant. Porro ut id (*e*) Jure tam veteri, quam novo constitutum omnino perficiatur, ne minus frugi homines & desidiosi alieno cibo pascantur; qui Pastoris munera obire debebunt, (*f*) ea scientia & moribus prædìti sint, qua recte valeant suscipiendam Provinciam administrare, ne id destruant, in quo elaborare debent, neve præmium quod, vigilantibus propositum est, in perditionem ab indignis percipiatur.

Nemo igitur, (*g*) quod alias decrevimus, audeat per Concursum Beneficium petere, nisi prius caritate, (*h*) quæ quidem ignitus altaris Calculus est, paratum se esse sentiat, & (*i*) a *Deo tanquam Aaron* vocatus Divinum tantum honorem, ejusque Animarum salutem exquirere intelligat. (*K*) Cui enim sua magis utilitas, quam Christi honos cordi est, is non inter filios, sed inter fures juremerito connumeratur; (*l*) & qui non Animarum lucro, sed inani gloria vel avaritia impulsus dignitatem acceperit, procul dubio in æternum peribit.

Qua-

Quapropter (*m*) nec artibus ullis utantur, nec Optimatum favore studioque adiuti, ad petendum Beneficium accedant. (*n*) Ii enim, qui non publice meritis, sed clam damnatis mediis communem audent provocare conscientiam, & vel per ambitum, vel per litteras commendatitias Ecclesiasticam dignitatem consequi & impetrare conantur, preesse gestiunt, non prodesse; ac proinde sicuti importune irrepere contendunt, ita opportune arcendi esse videntur. Fit hinc, ut qui prudentum virorum uti tenemur consilio, eum, qui dignior ceteris est, præferre desideremus, atque ex æquo & bono, non vero ex favore & gratia electionem facere intelligamus. (*o*) Si quis itaque tam audax erit, ut hoc decretum Nostrum præsumat infringere, nulla ejus amplius tanquam inepti futilisque hominis ratio habebitur; jam nunc enim inabilem ad Beneficium eum declaramus.

Jam vero eadem pena, aliisque ad arbitrium Nostrum puniatur, qui Beneficium, quod alius adhuc occupaverit, (*p*) & nondum vacaverit, vel per se, vel per alios petere audeat. Ejusmodi enim affectatio a Sacris Canonibus passim damnata est, quippe quæ inanis gloriolæ, pravæque cupiditatis significationem præbere solet.

Quæcumque Beneficia Curam Animarum habentia desiderantes sciant, (*q*) se minime Examen effugituros esse; necesse enim est, ut vel ipsi per Nos, vel Per Vicarium Nostrum Generalem de eorum scientia & doctrina dignoscamus, quos ex æquo possimus eligere. Hoc autem in Concursu fiet per Examinatores Nostros Synodales, prout a Jure statutum fuit. Qua quidem lege idem de Jure Patronatus, deque Omnibus aliis Beneficiis, quibus Animarum Cura conjuncta sit, decernimus & sancimus. Monemus autem singulos, quibus Jus Patronatus est, ut eos vel maxime deligant, qui honestis moribus Doctrinaque præditi sint; (*r*) ne ad Nos cum accesserint, tanquam minime idonei repellantur, ipsosque dispensatores juxta Canonicas sanctiones arguere cogamur. Caveant insuper, (*s*) ne conventio aliqua vel pecuniarum, vel cujusvis alterius rei inter eligendum & eligentem intersit: ejusmodi enim electio ut Simoniaca Sacris Canonum legibus omnino damnatur.

Porro Examinatores sese perjurii crimine obstringent, si petentes Beneficium iis imbuent, quę erunt per examen proponenda. Caveant præterea, ne animi dolore aliquo moveantur, (*t*) sed juxta Sanctiones Canonicas, quacunque humana affectione postposita, fideliter munus adimpleant; neve aliquid aut ante Examen, aut post, ob exa-

i] *c. in Scripturis* VIII. *q.* 1. *& ibi D. Greg in Reg. ad Hebr.* 5. *n.* 25.

k] *c sunt in Eccles. ibi.*

l] *D. Greg. ibi.*

m] *dic. Pastor. nost. quo circa c. Sacimus.* 1. *q.* 7.

n) *ex Div. Ansel. l.* 6. *c.* 28. *ex Divo Hier. epist ad Tit.*

o] *Vid. Bul. Pii* V. *Kal. Junii* 1569.

p] *cap. ex tenore. & capit. cum dilecta. de Concess. Preb.*

Concil. Trident. Sess 24. *de Reform. cap.* 19.

Conc. Lat. sub Alexād. III. *capit.* 8.

Paulus III. *Constit. Sanctissimus.* 17. *August.* 1541.

Digitized by Google

q] Conc. Tr. Sess. 24. de Ref. c. 18 & Sess. 25. de Ref c. 9. c. cum in cunctis. § Inferiora & c. eam. & cap. cum sit. de ætat & qualit. Ordinan.
r] Conc. Tr. Sess. 25. de Ref. c. 9. & Sess. 24. de Ref. c. 18. c. cum in Vintonien. de electio.
s] c. illud quidem VIII q. 2. c. cavendum est. & c. siquis 1. q. 7.
t] Côc. Tr. Sess. 24. lo. cit. sint vero. c. quãdo dist. 28. Pius V. Const. in Conferendis. 15. Maji 1576.
u] Greg. xiii Côst. Humano vix. Nonis Jan. 1583

ob examen ipsum accipiant, Deo alioquin, & Nobis vel de levibus ipsis rebus rationem reddituri. Porro cum per tacita suffragia res omnis transigatur, nihil quidquam de eo, quod actum fuerit prodere audeant: secus qui fecerit, officio privabitur, aliisque ad arbitrium pęnis punietur.

Beneficiorum permutationes aut Resignationes, nisi Nobis annuentibus, ne fiant; quæ alioquin invalidæ sint. (u) Quas vero fieri patiemur, in hac Nostra Cathedrali Ecclesia, atque adeo in Titulari, seu Parochiali, intra cujus fines Beneficia permutata sita sint, ea infra tres menses a die permutationis, sub pæna invaliditatis, publicentur. (x) Qui Romana permittente Curia permutaverint, ultra sex menses ne differant publicationem, ne pænam nullitatis incurrant. Ubi autem de Beneficiorum Jure Lis aut Contentio oriatur, nemo, quacumque de caussa, Nobis insciis, conventionem aliquam facere audeat.

Nimis avida acquirendi, & augendi cupiditas ne trahat electum, qui nondum a Romana Curia, vel a Cancellaria Nostra, prout jus erit, litteras electionis expeditas habeat, Beneficii possessionem accipere. In ejus insuper redditibus ne se immisceat, aut fructus quoscumque percipiat; sic enim agentes, prout (y) Jura clamant, e Beneficio deturbabuntur, quod nunquam amplius poterunt impetrare.

Beneficia autem, quibus Animarum Cura minime conjuncta est, (z) ut nemo impetrare possit declaramus, nisi ex legitimo Thoro natus sit, aut a Romana Curia dispensatus, Tonsuraque insignitus decimum quartum ætatis annum attigerit. (A) Vigesimum autem quartum completum necesse est ex Canonum legibus, qui Beneficium Curatum petit. Quæ singula ni perficiantur, irritam omnino esse electionem declaramus.

---

x] argum. in l. 41. de Escusat. Tut. & Temp earum. relatum a Rebuffo.
y] c. Avaritiæ de Elect. in 6. z] Conc Trid. Sess. 23. de Ref. c. 6. c. Indecorum. & c. sequen de ætate, & quali. Ordinan. Barbosa ad c ex eo. de Elect. in 6. n. 2. A] Conc. Trid. Sess. 24. de Ref c. 12. c. licet Canon. & c. Nemo de elect. in 6. C. cum in cunctis. § Inferiora de elect.

§ DE'

Digitized by Google

§

DE CONGRUIS,

& de

OECONOMIS.

CUM Contentiones Omnes super fructibus illius anni, intra quem ultimus Rector e vita decessit, ad successorem spectantibus, in posterum evitare desideremus: (*a*) Metropolitani Nostri vestigia & constitutiones sectantes decernimus & declaramus, quod fructus omnes tam naturales & individuales, quam Civiles, veluti Census, Pensiones domorum, & aliæ similes correspensiones cujuscunque generis, a solo separati & non separati, sive pendentes, exacti & non exacti, & si tempus solutionis advenerit, totius anni, quo Beneficium vacavit per obitum ultimi & immediati Rectoris, reducantur in cumulum & assem, detractis oneribus omnibus detrahendis, atque successor in Beneficio consequatur tantum eorum portionem pro rata temporis ab ipso præstandi servitii, ut vivere, & onera Ecclesiæ sustinere possit, usque dum venerint novi fructus. Annus autem erit incipiendus & computandus a die, quo penultimus Rector decessit; & statim inceptum intelligatur servitium ultimi defuncti Rectoris, mediante OEconomo deputato ad sustentanda onera vacantis Ecclesiæ, donec fiat nova provisio. Quod autem dicimus de Beneficiis Curatis, etiam de simplicibus, & quibuscumque aliis Præbendis intelligimus. (*b*) Æqualiter enim Ecclesiæ serviunt, & de Ecclesia debent enutriri.

a] *ex Syn. Metr. Aquil cap. de Rata fruct. per tot.*

b] *ex 1: Corinth. 9.*

In iis autem, quæ per Resignationem vacant, (*c*) nulla Resignanti fructuum naturalium & industrialium pendentium rata detur; immo neque Civilium, nisi venerit dies solutionis de tempore admissæ resignationis: nam per ipsam simpliciter factam, sine aliqua fructuum reservatione, ii omnes censentur remissi ad favorem Resignatarii, propter jus abdicatum a Resignante tam respectu Dominii, quam possessionis. Si vero Resignans ante Resignationem fructus omnes collegerit, vel majorem eorum partem, ita ut remanentes pro Resignatarii victu, & pro oneribus sustinen-

c] *d:c Syn. Metr. loc. cit. § In vacatione.*

dis

dis non sufficiant, teneatur Resignatario Congruam relaxare portionem pro rata temporis, usque ad novam collectionem fructuum; nisi aliter inter partes fuisset pactum, & in supplicatione expressum; hinc a Summo Pontifice, propter Simoniacam vitandam labem, approbatum.

Et cum in qualibet Parochialis Ecclesiæ vacatione constituendus sit (d) OEconomus aliquis aut Vicarius, cum Congrua arbitrio Nostro fructuum portionis assignatione, qui onera Ecclesiæ sustineat donec ei de Rectore provideatur: hoc enim permaxime saluti Animarum expedit: ne super hoc quoque inter OEconomos & successores electos Lites & controversiæ excitentur; Nos in hac quoque parte Metropolitani Nostri (e) vestigia sectantes statuimus,

OEconomorum assignationem taxatam fore quinque Ducatorum Venetorum currentium singulis OEconomiæ mensibus. Præter quam habeant pariter omnia ea incerta, quæ a Fidelium pia devotione quomodolibet erogantur, aut quacumque de caussa, & occasione laboris, aut incommodi solent erogari; nec non Eleemosynas ad manus tunc temporis occurrentes pro celebratione Missarum, Legatorum, & Anniversariorum. Excipimus porro eas frumenti, aliarumque frugum certas & statutas oblationes, quæ a Populis fiunt ad Altare, quas Successori Electo reservatas omnino intelligimus. Hæc porro Constitutio inviolabiliter hac in Diœcesi servetur; ubi autem qualitas loci, aut Beneficii secus exigere videbitur, Nobis duntaxat, ubi circumstantias probe agnoverimus, id exponendum reservamus. Addimus tantum hic, quod ubi contigerit celebrare funera Parochi immediate defuncti, quæ fiunt a Confratribus Congregationis, Ceræ & Intorticia, quæ dicunt, non ad OEconomos spectent, sed inter Confratres funeribus personaliter assistentes æqualiter dividantur.

Noverint hoc loco OEconomi, se, Parochorum vices cum subeant, Cœlestis Agricolæ munia subire; quare (f) ne dum omnia ea, quæ de Parochis statuimus, recte adimplere conentur; verum etiam Vineam, quam aliis parare debent, ita colant, ut ne spinis undique irretitam invenientes Pastores illi, qui eam venient elaborare, de eorum negligentia conqueri apud Deum, & apud Nos coacti sint.

d] Conc. Tr. Sess. 24. de Refor. c. 18. Const. Pii V. cit. in Conferendis.

e] Syn. Metrop. Aquil. c. de OEconomis § 2. & 3.

f] vid. c. de Sacr. & c. de Paroch.

CAPUT

CAPUT XXII.

DE REGULARIBUS.

CUM illi, qui inter ſeculi curas ac ſolicitudines vitam agunt, iis ſæpe fluctibus objiciantur, per quos aut Naufragium facere, aut in ſalutis diſcrimen venire facile poſſunt, (a) Redemptor omnium Dominus locum pacis ac tranquillitatis plenum illis hominibus dare voluit, qui remotam ab omni periculo vitam inſtituere ſtudent, & tanquam in Portu collocati per ſummam quietem rebus divinis vacare. Ecce porro, quomodo de ſinu Patris in Patre remanens deſideratus ille per tot ſæcula Cœleſtis Agricola venit, non ſolum (b) *quaſi aquæductus & fluvius dorix* totum genus humanum ſanguine proprio irrigare, verum etiam (c) *pluſquam Salomon* pro ipſo factus, in Solo militantis Eccleſiæ hortos voluptatis quoſdam ponere, ut a Luporum voracitate inſidiatos circumcluderet, & ſalvaret. Qui quidem hortus Regularium & Monacorum omnium domus ſunt, ubi nullus rerum humanarum ſtrepitus, nullæ voluptatum illecebræ animum ab optimis inſtitutis, atque adeo a virtute poſſunt avertere. Quod genus hominum, quos vel in terris felices ac prope beatos eſſe intelligimus, tanto alacrius ac promptius ad Sanctitatem contendit, quanto tutior illis a Chriſto Domino paratur via, quæ ad eam recta ducit. Pergant itaque ſtrenue ut cœperunt, agantque negotium ſane maximum, quod tanta cum laude ſuſcepere: ad Nos enim quod attinet, aliqua proponere in animo eſt, quæ ſi amplectentur, ſperamus fore, ut uberrimos inde fructus percipiant.

Cum igitur (d) Voluntaria oris noſtri beneplacita Dominus faciat, & ſponte ſua ſe quiſque Deo Optimo Maximo ſacrificare debeat, fit, ut (e) Parentes ſingulos per Dominum Jeſum Chriſtum rogemus & obſecremus, ne ad Regularem vitam inſtituendam

a] *Clemet. exivi. de ver. ſignif.*

b] *Eccleſ. 24. n. 21.*

c] *Matth. 12. v. 43.*

d] *Ex pſal. 118. v. 108 & pſal. 53. v. 8.*

e] *Conc. Tr. Seſ. 25. de Regul. c. 18. ubi anathematis pœna feriuntur. c. ſicut. 11. q. 1 c. præſens ibi q. 3.*

ſtituendam vel per vim, vel aliqua alia injuſta de cauſſa liberos impellant. (*f*) Ii enim ſponte ſua ad ſupernæ vocationis Bravium par eſt ut contendant, ut rectius diligere poſſint quod optarunt & elegerunt. (*g*) Proditores equidem magis quam Parentes ii eſſe videntur, qui ab invitis Filiis Religionis Profeſſione expreſſa, eos miſere cogunt in ſalutis diſcrimen venire, ſeſeque deteſtandæ crudelitatis, ac flagitii reos faciunt.

Nos itaque quemcumque Regularem, (*h*) qui ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem oſtenderit, aut ante ſtatum tempus Profeſſum fuiſſe demonſtraverit, vel alia quacumque de cauſſa irritam eſſe Profeſſionem probarit, (*i*) una cum ſuo Superiore, dummodo intra quinquennium id fiat, humaniter ac benevole audiemus, & recipiemus. Quod ſi per illud tempus tacuerit, in ſuſpicionem jure veniet ratam hujuſce Profeſſionem habuiſſe; (K) dummodo ne aliud Nobis Canonicis rationibus perſuadeat; fieri enim poteſt, ut ex ignorantia, aut ex metu tacuerit; tunc vero, prout de Jure conſtiterit, tranſacto quoque tempore, reclamantem recipiemus, ſi id Nobis a Sede Apoſtolica indulgeatur.

Si quis Regularis ſuæ dignitatis oblitus & immemor, vel Religionis habitu dimiſſo, vel inſciis ſuperioribus, per noſtram Diœceſim divagabitur, utcumque id faciat, Canonica auctoritate (*l*) tamquam ſui inſtituti Apoſtata & contemptor punietur; quod ne unquam impune fiat, ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrendam in eum intentamus.

Nobis inſciis aut renuentibus, Monaſteria, domus, Congregationes, vel Societates Regularium, cujuſcumque etiam mendicantium ordinum, Societatis, & inſtituti, quocumque tandem nomine nuncupentur, juxta Sacri Concilii Tridentini conſtitutionem (*m*) non erigantur. Porro ad fugandas inſidias, ut ajunt Canones (*n*) & hominum cum Monialibus collocutiones vitandas, quam longiſſime fieri poteſt ab illarum Monaſteriis Regularium domus ædificandæ abſint. (*o*) Religioſorum hominum Monaſteriis Clauſuræ obnoxiis nullus unquam fœminis acceſſus fiat, ne ita humani generis inimicus ſua eos calliditate decipiat; neve eorum mentes, quę in rerum divinarum cogitatione verſari debent, alio avertantur, neve inſtituti leges ſcandalis infringantur. (*p*) Sicuti enim excommunicationis pœnam latæ ſententiæ fœminis quibuſcumque Religioſorum ſepta ingredientibus intentamus, ita & recipientibus pœnas a Jure ſtatutas memoramus.

Quoniam Regularium Monaſteria & domus, quibus Animarum Cura conjuncta eſt, (*q*) in iis, quę pertinent ad ipſam Curam, Sacra-

f] *ex Epiſ. ad Philip. 3. l. c. ex Epiſ. Petr. 2. 1. l. B.*
g] *ex Div. Bern. Epiſ. 4.*
h] *c. Signiſicatum eſt. & c. cum virum. & c. cũ ſimus. de Regularibus. cap. Puellæ.* XX. *q.* 1.
i] *Conc. Tr. Seſ. 25. de Regul. c. 19.*
K) *Barboſa in coll. ad c. 19. & ibi quam plures d.d.*
l) *Cõc. Tri. loc. cit c. 4. et 19. c. Monachi.* XVI. *q.* 1 *Conc. Arel.* 1. *c. ult. & 2. c. 25. Concil. Tolet. 6. c. 6. Cong. Sac. Epiſ. & Regul. 21. Sep. 1624*
m) *Cõc.* Tr. *Seſ. 24. de Regul. c. 3. in fine.*
n) *c. Monaſteria* XVIII *q. 2. c. definimus & c. in nullo ibi.*

Sacramentorumque administrationem Nostræ Jurisdictioni obnoxia sunt, [iis tantum exceptis, quæ a Tridentina Synodo excluduntur] ideo Regulares hujusmodi monemus, ut nihil eorum negligant, quæ Parochos exequi oportere alias statuimus. (r) Animarum vero Curam & administrationem nemo, nisi Nobis annuentibus prævio examine, suscipiat: Ea enim omnino, quæ ad Animarum curam spectant, ad Nos pertinere intelligimus.

Quia vero Conventus illi, (s) qui duodecim numero Monachos non alunt, quique intra fines alicujus Parochiæ positi, unum tantum vel paucos cum alant, Hospitia nuncupantur, ex Summorum Pontificum decretis in Nostra Jurisdictione sunt, ideo præcipimus & mandamus, ne jura Parochi Regulares in iis degentes audeant perturbare.

Fidelium Confessiones ne audiant Regulares, (t) nisi prius se Nobis per examen probarint, & ad id facultatem habuerint. In iis autem audiendis, quæcumque de Sacramento Pœnitentiæ statuimus, diligenter servent, (u) præsertim vero ea, quæ de incertis restitutionibus, de quibus disponere nemo, Nobis non consultis, potest, sub pœna suspensionis officii ipso facto incurrenda, statuimus. (x) A casibus autem Nobis reservatis, quibuscumque non obstantibus privilegiis, nullo unquam tempore absolvant absque speciali facultate. Ubi vero Nobis probati Ægrotorum Confessiones audierint, Parochos de illis auditis illico certiores facere teneantur, sub pęna suspensionis ab officio ipso facto incurrenda, juxta Sacras (y) Constitutiones.

Ad publicas Processiones, aliasque Functiones vocati, (z) cujuscumque Ordinis sint, juxta Sacrum Concilium Tridentinum accedant, & in iis locum obtineant, quem antea consuevere. (A) dies Festos, qui in Diœcesi hac servantur, & ipsi celebrent: (B) Officium duplex primæ Classis S. Titiani Diœcesis Nostræ & Civitatis Protectoris, necnon Cathedralis Nostræ dedicationem ii, qui in Civitate degunt, celebrare ne omittant.

Tertiarii, & Cordellati, quos dicunt, ceterique id genus Eremitæ, qui in vicis, pagisque sedem habent, Parochialibus Ecclesiis, earumque Rectoribus pareant, & semel saltem in anno, nempe Paschali tempore Sacram Synaxim ab illis accipiant. (c) Cum vero Regulares omnes in suis Monasteriis non degentes in Nostra Jurisdictione sint, eos monemus, ut institutæ vitæ rationis memores habitum jam susceptum ne exuant, modestiam insuper, humilitatem, & castitatem ubique ut colant, scandala evitent, Laicorum Congressus, quoad ejus fieri potest, fugiant, nihilque unquam committant, quod Religiosis hominibus indecorum esse videatur.

Cong.S.Ep. 18. April. 1605. Constit. Sy.Cen.editæ an. 1695.

o] *c. cum pervenit.* XVIII. *q.* 2.

p] *Bul. Pij* V. *Regularium 24.Oct.1566 Greg.*XIII. *Conf.ubi gratia. V de de hac materia Navarum. de Regularibus. Comment. 4. n. 62.*

q] *Conc.Tr. loc.cit. c* 11. *& Sess. 7. de Ref. c. 7. & Sess. 5. de Ref. c. 2. § si quę*

r] *Conc Tr. dic. Sess. 25. loc.cit. c. qui Religiosi.* XVIII. *q.* 2.

s] *Urb.*VIII *Const.* 43. *Inno.X.Const Instaurandæ. & decr. Ut in parvis.*

t] *vide in tit. de Sacr. Pœnit. § Nemo in verbo. Idem & ibi notata.*

O Quæ

874

Quæ de Sanctimonialibus invisendis, deque earum colloquio per sacros Canones (D) decreta sunt, ea Nos, ad Regulares quod attinet, rata facimus in hac Diœcesi Nostra, & ut omnino præstentur, volumus & mandamus. Quare excommunicationis pœna, aliisque sacris legibus intentatis ii acriter punientur, qui sibi ad Moniales quascumque, etiamsi sui ordinis sint, aut ad Sæculares in Monasteriis degentes, quicumque de caussa sibi accessum facient, nisi prius a Sede Apostolica, & a Nobis facultatem ad id impetraverint. (E) Moniales vero, quas primo & secundo gradu Consanguinitatis conjunctas habeant, conditionibus jure impositis, iis in Domino per Nos adire licebit. (F) In earum autem Ecclesiis nunquam Regularibus, qui a Nobis veniam non petierint, Sacrum facere licebit; juxta Constitutiones Prædecessorum Nostrorum.

Omnia demum, quæ de Regularibus per Prædecessores Nostros, (G) & præcipue per recentiorem in Synodalibus Constitutionibus statuta sunt, hoc loco rata habemus, confirmamus, & constituere intelligimus.

u] *eod. tit. §cum autem in verb. Confessores.*

x] *Clemens X. Const. Superna.* 1670. *§ & habentes.*

y] *dic. Cōst. Superna. in verbo. Illos autem.*

z] *Concil. Trid. Ses.* 25. *de Regul. c.* 13. *§ exempti.*

A] *Conc. Trid. loc. cit. cap.* 12. *in fine cap. de iis Dist.* 12.

B] *Sacr. Cong. Rit.* 20. *Martii.* 1683. *Eadem* 1. *Ap.* 1664. *Confr. ab Alexandr.* III. 8. *ejusd.*

C] *Conc. Trid. Ses.* 6. *de Ref. cap.* 3.

D] *Declar. Sac. Cong. Concil.* 1669. 2. *Maji. a Clemen.* IX. *approb. an. eod.* 7. *Junii decr. Sacr. Congr. Ritu de mandato Urbani* VIII. 19. *Novemb. anno* 1603. *Decr. Ejus. Cong. de mandato Sixti* V. *Nonis Maji* 1490. *Hæc omnia habes in Syn. Aquilej. c de non access. Regul. ad Monas. Monial.*

E] *Ex dic. decr. Urban.* VIII.

F] *Const. Syn. hoc. tit. in fine num.* 19.

G] *Vide c. de Regul. in Const. Syn. Cen. typ. editis ann.* 1695. *per totum.*

§ DE

Digitized by Google

§

DE MONIALIBUS;

Aliqua Nobis hoc loco de Sanctimonialium vita, earumque institutis dicenda esse videntur: res enim hæc est, quæ Nos omnium maxime solicitos facit; cum Nostræ fidei ac diligentiæ Virgines illę commissæ sint, quæ jam Deo desponsatæ fuere. Verum in Diœcesi hac Nostra, Deo dante, ejusmodi Monialium vita est, ut earum Claustra vere (*a*) Cœlestis sponsi sint hortus, quo sæpe *ad Areolam Aromatum, ut pascatur, & Lilia colligat*, descendere solet; ita enim ipsę per se ac sponte sua in officio se cohibent, rectamque vivendi formam, legesque ab Institutoribus propositas, quæque a Nobis pro tempore perlatæ sunt, attente servant, virtutesque colunt, ut in dies magis Divini Sponsi amore, ac desiderio inflammentur. Quare Nos (*b*) Prædecessorum Nostrorum, atque adeo (*c*) Metropolitani Nostri vestigia persequentes, nihil hoc loco addimus, nihilque illis præter leges, quas in Libellis suis vernacula lingua conscriptis habent, imponimus. Verum enim vero ea firma & rata Nostra hac Synodo habemus, quæ alias, earum Monasteria cum invisimus, pro re nata decrevimus. Si quid autem acciderit, quod peculiare aliquod decretum Nostrum requirat, opportune faciemus. Interim Eas in Domino rogamus & obsecramus, ut strenue pergant, ut cęperunt, & ad Coronam Gloriæ, quam Dominus Sponsis suis in æternum præparavit, prompte alacriterque contendant.

a) *Can. Cāt. 6. v. 1.*

b) *Constit. Syn. c. de Regul. § ultim.*

c) *Syn. Met. Aquil. c. de Monial.*

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

DE VOTI EMISSIONE.

a] *Act.* 5. *v.* 1. & 2.
b] *c. Dilectissimi*. XII. *q.* 1. *c. Ananias*. XVII. *q.* 1.
c] *Ecclesia*. 5. *v.* 3. & 4.
d] *c. Sunt quedā* XVII *q.* 1. *Ps.* 75. *v.* 12
e] *Deut.* 23 *v.* 30.
f) *c. Qui bona*. XVII. *q.* 1. *c. Viduas* XXVII. *q.* 1. *c. Litteraturam, de Voto & ibi Glos.*
g) *Reg.* I. 16. *v.* 8.
h) *ex Psal.* 64. *v.* 14.
i) *c. Non oportet. de Cōsecrat. dist.* 5.

QUAM gravi supplicio affectus fuerit (*a*) mendax ille Ananias, *quem tentavit Satanas mentiri Spiritui Sancto*, & *fraudare de pretio agri* pecunias, quas voverat Deo, nemo est, qui ignoret: ipse enim, Uxorque ejus Saphira ejusdem culpæ conscia ab Apostolis castigati expirarunt. Equidem (*b*) quam gravi pœna ii digni sint, qui cum se suaque Deo obtulerint, vel polliciti fuerint, præstare nolint, præcipue cum moneantur a Spiritu Sancto, (*c*) ne tardent reddere, quod Deo voverunt, *displicet enim infidelis, & stulta promissio, multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*, omnes intelligunt. (*d*) Alia enim sunt, quæ etiam non voventes debemus, alia vero, quæ non debemus, nisi voverimus; verum postquam promisimus, (*e*) ex manibus nostris illa requirit Dominus, quæ nisi reddimus, non modo gravi obstringimur culpa, verum etiam acerbissimarum pœnarum rei efficimur.

Cum autem ita votum definiatur, ut sit (*f*) *deliberata promissio Deo facta de meliori bono*, valde a simplici illo nudoque proposito differt, quod, ut ajunt, nullam peccati inducit obligationem; neque enim modo nudus ille, quem dicunt, mentis conceptus requiritur, verum etiam totius voluntatis intentio, & cordis orisque promissio. Deus quippe Optimus Maximus (*g*) hominum corda intuetur, & ejusmodi vota ibi facta (*h*) per hominum vocem, plerumque voluntatis concursum, quem appellant, sive intrinsecus sit, sive extrinsecus, accipit, & confirmat.

Qua quidem de re cum satis a Prædecessoribus Nostris dictum sit, atque adeo provisum, nihil Nos innovare juvat, qui hæc tantum in præsentiarum addimus, Primum siquidem cavemus, (*i*) Ne Clerici, atque ii præcipue, qui ad Residentiam ex Beneficio tenentur, Voti Religione se obstringant, Nobis minime annuentibus,

quos

Digitized by Google

quos ante ut consulant necesse est. Deinde (K) Ne Conjuges, quorum alter in alterius potestate est, nisi unanimes voveant: Deus enim, qui vetuit, ne in aliena irruamus, quæ aliorum sunt, a nobis minime exigit. Tum, ne rata sint (*l*) Impuberum, & eorum, qui in aliorum potestate sunt, vota, sive personalia sint, sive realia, a Patribus, Tutoribus, eorumque, in quorum potestate sunt, promissione facta, nisi in libertatem vindicati cum fuerint, rata ipsi habuerint, & firma. Ne denique (*m*) turpia vota per malam promissionem facta, atque ea, quę temere quis emisit, Sancta & rita esse existimentur; impium enim est & flagitiosum id polliceri quod per scelus præstari debeat.

(*n*) Si vero Communitas aliqua, Nobis insciis, Religione voti se obstrinxerit, eos admonemus persolvere, quæ promiserunt, qui Voti publici Authores fuerint; Successores autem immunes decreto hoc Nostro declaramus; Quare Communitates omnes hortamur, ne ejusmodi Vota emittant, nisi prius Nos adierint & consuluerint.

Tandem ad Parochos & Confessarios quod attinet, eos monemus, & in Domino Jesu Christo obsecramus, ut diligenter a Canonistis, & Summistis, quos appellant, discant ea omnia, quæ de Votis commutandis, irritisque faciendis, deque obligatione & validitate tradiderunt; non enim huic loco convenit, aut fas est, Nos hec omnia hic declarare. Caveant ne unquam accidat, ut eorum ignavia, aut imperitia, (*o*) Vinculis non diruptis, aliquis Deo hostiam laudis sacrificet, aut non irretitus impediatur, quominus nomen Domini invocare possit.

K] *c. Noluit* XVI. *q.* 1 *c. si dicat. & c. uńa sola. & cap. significasti. & c. Mulier.* XXXIII. *q.* 5 *Sanchez. de Matr. l. 9. disput. 36. n. 4. & seq.* *D. Tho.* 2. 2. *q. 88. art. 8. ad 3.*

l] *D. Tho. loc. cit. art. 9. & com. dd.*

m] *c. in malis. & c. si aliquid. & c. est etiã. & c. si publicis. & c. c. seq.* XXII *q.* 4.

n] *Cõst. Sy. Cen. hoc. tit. num. ulti.*

o] *ex Psal. 115. v. 7.*

Digitized by Google

878

CAPUT XXIV.

DE ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM.

a] *ad Rom.* 10. *v.* 12.
b] *ex Psal.* 4. *v.* 2.
c] *ex Isai.* 58. *v.* 9.
d] *Genes.* 32 *v.* 21.
e] *Matth.* 15. *v.* 22.
f] *ex Divo Gregor.* 25. *moral.*

VERE dives misericordia, (*a*) *dives in omnes, qui invocant illam*, Divina Bonitas est; neque enim Orationis finem fecerat Divus Psaltes, (*b*) cum exoravit: fit hinc, ut intelligamus, (*c*) presto esse Dominum invocantibus se; fidelis enim Oratio Omnipotenti vim facit, ut dignoscere est (*d*) ex Jacobi Luctu, in qua per vim ab Angelo benedictionem, & (*e*) ex Evangelicæ Mulieris precibus, quæ ex vi fidei, quod poposcerat, impetravit. Porro cum Deus sit ubique, (*f*) & nos Templum simus, & Ara Dei cor nostrum sit, ubi semper debet caritatis ignis ardere, fit, ut undique aptum & opportunum ad Deum invocandum locum habeamus. Attamen summæ Divinæ Majestati laudes & Orationes in Templo maxime ut persolvamus, equius esse videtur; ibi enim facilius, quam alibi, nostris precibus præsto est, & laudes, quas in Templo illi persolvimus, gratiores fiunt. Quod quidem cum Sancta Mater Ecclesia intellexerit ipsum verum realemque Dominum, quem sub Sacratissimi Sacramenti Eucharistiæ specie semper in Tabernaculis colere possumus, oculis quoque identidem voluit, ut subjiceretur, ut facilius ejus benignitatis & misericordiæ fructus caperemus.

Quod, ut quo decet, cultu & honore in hac Nostra Diœcesi fiat, nunquam quavis de caussa ante claram diem, vel post Solis occasum, juxta Rubricarum instituta Sanctissimum Eucharistię Sacramentum Fidelium oculis, & veneratione exponatur. Quæ quidem Lex de quavis exponendi Sacramenti occasione intelligatur, & in primis de Novenis, quas dicunt, quæque sub diebus festis Nativitatis Domini celebrari solent. Id vero non modo Parochis, sed & ceteris omnibus, qui Jus habent Sacramenti exponendi, ex lege obedientiæ interdicimus, quam si violaverint, gravissimis, iisque ad arbitrium Nostrum pœnis punientur.

Jam

Digitized by Google

Jam vero ad arbitrium Nostrum pęnas dabunt, qui Sanctissimæ Hostiæ in Ecclesiis propriis servandæ Tabernaculi & Ostensorii jus cum non habeant, Christi Corpus exponere audebunt. (g) Earum autem Ecclesiarum Rectores, quæ Jurisdictione carent, nunquam exponant, nisi Nobis annuentibus; quod si facultatem ad id accidat, aliquando ut indulgeamus, irritam esse intelligimus per id tempus, cum Parochialis Ecclesia Sacramentum exponit.

h) Altare, ubi Sacramentum servatur, decenter ornetur: Cereorum copia, quoad ejus fieri potest, magna sit: Paramenta quæ nominant, & Ornamenta albi coloris in promptu sint. (i) Ostensorio præterea claudatur Hostia ejus formæ, ac materiæ, de qua alias satis diximus: In sublimiore Altaris loco, unde facile omnium oculis objiciatur, collocetur; Thura incendantur, per quę Christum Dominum & verum Deum veneramur, (K) & fumus ascendat per manus Sacerdotis ad Thronum Dei (l) Laudum Hymni canantur, per quos in Canticis & Organis Rex omnium glorificetur; ac denique diligenter cetera perficiantur, quæ (m) in Rituali Romano præscripta sunt.

Porro ne justo cultu & honore tam sublime Sacramentum fraudetur, curent Parochi, quantum in ipsis situm est, (n) ut frequens Populus ad Templum veniat; ac proinde inter Missarum solemnia diem expositionis denuntient, & magno Campanarum sonitu eum convocent. Oratio per id tempus nunquam intermittatur, adsitque semper Stola indutus Sacerdos aliquis, & saltem Clerici duo qui si deerunt, duo ex societate Sacramenti Fratres præsto semper sint, ut tantum Sacramentum adorent.

Ad eas autem Expositiones quod attinet, Quadraginta horarum quas dicunt, ut quam decentissime celebrentur, consuetudo omnino retineatur, quam, de horarum dispositione cum egimus, (o) jam induximus; ita ut nunquam Sacramentum noctu expositum sit, sed post Vesperas singulis diebus Populo Sacerdos Eo benedicat, reponatque in Tabernaculo; Spatium vero temporis, quo exponitur, usque ad Meridiem Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ protrahatur. Horarum ordo vicissim per Confraternitates, & vicos, ita tamen ut singuli singulas sibi statas horas habeant, statuatur; in primis vero caveatur, (p) ne Fœminæ cum maribus permisceantur.

Ad Eleemosynas & oblationes accipiendas, Sacramentum exponere cum debebunt, ne ad Altare, neve ad alium locum Capsulam apponant. Ubi vero id fieri oporteat, in summa rerum difficultate Ecclesia si versabitur, Foribus capsulæ affigantur, & acceptum impensis, quæ pro Expositione fient, inserviat, siquid supererit, Divini Sacramenti

g] *S. Cong. Ep. 25. Octob 1602. & 17 Maji 1603. & 18. Maji 1648.*

h] *Vide in c. de Sac. Euchar. § Sacramento.*

i) *Eodem c. § in Sacrat.*

K] *Apoca. 8. v. 3.*

l] *Ps. 150. v. 5.*

m] *Rit. Ro. hoc. tit. per totum.*

n] *Concil. Med. Prov. hoc. tit. § ut oratio.*

o] *Speciale decr. Nos. an.*

p) *ex dicto Concil. Med. loc. cit. § ibi interdum.*

Digitized by Google

menti cultui adjudicetur. Qui erogatas Eleemosynas in rem suam deducet, non modo obedientiæ leges infringet, verum etiam indignationem Nostram in se concitabit.

CAPUT XXV.

DE PROCESSIONIBUS, & Publicis Supplicationibus.

ADVERSI siquid unquam accidat, aut si variis fluctibus objiciatur Ecclesia, satis firmum sibi in Domino Præsidium constitutum esse existimat: Qua propter securius ad Dominum, ut confugiat expiationis caussa; publicas supplicationes instituit, quas (*a*) ex veterum Conciliorum sanctionibus, (*b*) Sanctorum Patrum testimonio, Decretas jamdiu fuisse intelligimus. Cum enim publicis hisce precibus sese Domino obnoxios esse, Populi profiteantur, facilius Divina Misericordia adjuvantur. Quod etiam in veteri lege fieri consuevisse, nemo est, qui ignoret: (*c*) sive enim Jordanis esset trajiciendus, Arca fœderis Religioso ritu præferebatur, (*d*) sive Hiericus esset expugnanda, Sacerdotum clamoribus Arca eadem circumdevecta, mænia funditus corruebant. Cum itaque ejusmodi supplicationes ut cum maxime sint necessariæ, in ea siquidem tempora incidimus, quibus Christiana Respublica variis casibus subjecta est, Nos de iis sermonem instituturi, hæc ferre, quæ ad utilitatem Diæcesis Nostræ videntur facere, decernimus.

Publicæ Processiones cum fiunt, ritus omnes serventur, qui (*e*) ab Ecclesia magistra præscripti sunt. Quare Populus unum in locum coactus (*f*) ad id ipsum a Deo petendum, Religionem, Pietatem, & Modestiam præseferat, atque ita se gerat, ut Divinam sibi misericordiam conciliari possit. Equidem (*g*) *si duo ex il*lo *con-*

a] *Cõc. Laodic c. 17. an. 364. Concil. Brac. 3. 5. an. 670. c. quãdo dist. 18. § cũ vero. & ibi Conc. Tolet. 4 cap. 14.*

b] *vide Baronium. Annal. Eccl. to. 1. n. 112. & in notis in Martirol R. pluribus locis, & præcipue 25. April. D. Hiero. ep. 22. ad Eustach: epis. 12. ad Gauden. Epi. 7. ad Laet. Tertul. ad Uxorem l. 2. c. 4. Basil. Epist. 63 ad Neocesarien.*

c] *Josu. 4. v. 11.*

d] *Josu. 6. v. 4.*

Digitized by Google

lo *consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre, qui in Cœlis est*, eo tamen pacto, ut a Deo, quæ Dei digna sunt, digne, & humiliter postuletur. Omnis itaque strepitus, Populique rumor, tumultus omnis tollatur, nihilque, quod aut indecorum, aut minime Religioni conveniens esse possit, committatur.

(*h*) Turbæ & Seditiones, quod alius alium præcedere velit, ab Ecclesiasticis hominibus ne excitentur; ita enim a Domino præceptum est; (*i*) ut *qui major est, fiat tanquam minor, & qui Præcessor, tanquam ministrator*. A veteri consuetudine ne quis recedat, recens si quid acciderit, Nos de remedio consulatur; Lites enim omnes componemus, & a Processione rixarum auctores, eousque arcebimus, dum incommodis omnibus a Nobis provisum fuerit.

(*k*) Publicæ Supplicationes in hac Diœcesi Nostra nunquam, nisi Nobis consultis, fiant: hinc Populus a Parochis invitetur, dies stataque hora prius denuncietur, ut frequentior sit. Indulgentiæ, si quæ conceduntur, ab ipsis promulgentur, ut Divinis Thesauris qui conveniunt locupletari, facilius impetrent, quod petunt. Clerum supplex Populus subsequatur, post illum (*l*) Fæminæ a Viris sejunctæ modestiam præseferentes, velatoque capite incedant; & per id tempus, quo Processio fiet, Campanæ pulsentur.

(*m*) Porro nullus Clericus aut Sacerdos in loco, ubi eas fieri contigerit, a Processionibus se subtrahere præsumat, aut e loco, ubi fient, discedat; neque enim ulla caussa esse potest, quamobrem ii, qui se Deo dicarunt, Dei cultum negligant, cum iis (*n*) Buccinarum usus commissus sit, quarum sonitus voces Populi prosequantur. Talari itaque veste, candidoque superpelliceo, aliisque Sacris Vestibus induti intersint; ex ordine ne recedant, (*o*) neve alio proficiscantur, quoad reversionem fecerint ad Ecclesiam, unde exierunt. Quod item de Rogationibus, quæ ante Domini Nostri Jesu Christi Ascensionem fieri solent, intelligimus. Qui non paruerint, gravissimas pœnas luent.

Publicis Processionibus cum Regulares ex Sacri Tridentini Concilii (*p*) nutu intersint, ad Ecclesiam opportune pergant, unde eos exire debere intelligent, qui Processionibus intererunt, Crucemque deferentes, servato consuetudinis ordine, suum locum obtineant. Laicorum item Societates Vexilla extollant, ejusdem Societatis insignia. Cruces vero a Clericis talari veste indutis si efferantur in Processionibus, magis decorum id Victoriæ nostræ Vexillo esse videbitur.

Cum enim Processiones deferre munus Parochi sit, & in alienam

e) *Rit. Ro. de Process.*
f) 1. *Corint.* 1. *v.* 10.
g) *Matth.* 19. & 19.
h) *Cōc. Tr. Ses.* 25. *de Regul. c.* 13. *Pius* V. *Const. divina* 1568. *Greg.* XIII. *Const. Exposcit.* 1588.
i) *Luc.* 22. *v* 26.
K) *S.C.Rit. relata ab Elboren.* 28. *Maji* 1628.
l) *ex Conc. Prov. Medi. de Procef.* § *Laici*.
m) *Concil. Trid. Ses.* 25. *c.* 15. *Sexepti S.C. Concil.* 17. *Julii.* 1597. *S.C. Episc.* 12. *Mar.* 1601
n) *ex Josu.* 6. *v.* 7.
o) *ex Conc. Prov. Med. loc. cit.* § *Nemo.*
p) *Concil. Tr. Ses.* 25. *de Reg. c.* 13.

Digitized by Google

q) *c. nullus 1. & 2. IX. q. 2.*
r) Sy. *Aq. hoc tit. § ult.*
s) *Vide in c. de Repr. § Quas.*

nam possessionem ii violenter irruere videantur, qui eo renuente illas agere audent; nec ulli liceat (*q*) in alterius Parochia, nisi eo volente, aliquid agere, quod ostendat Jurisdictionem, ideo Regulares supplicationes & Processiones si habebunt, extra eorum Ecclesiarum Claustra juxta Metropolitani Nostri Aquilejensis (*r*) constitutionem, facultatem ad id a Parochis impetrare non omittant.

(*s*) Spectacula & actiones ad fores ædium, aut in via, Publicę Processiones cum fiunt, non permittantur. Si vero id pati videbitur, ita qui agent, modeste ac pie sese gerant, ut omne scandali periculum removeatur. Vestibus vero Sacerdotalibus Actores ne unquam utantur: Parochi vero ex obedientiæ lege, si quæ licentia, aut abusus sit, tollant.

Ab iis Processionibus, Publicisque Supplicationibus, quibus longum iter suscipiatur, Mulieres arceantur; Parochique omnino caveant, ne intersint. Nulla vero fiat ante Solis ortum, nec post occasum Processio, neve ejusmodi sit, ut una die fieri non possit; pernoctare enim aut in Ecclesiis, aut alibi, videtur esse summopere periculosum.

t) *Greg.* xiii *Constit. monet.* 11. *an.* 1.
u) *Greg.* xiii *Const. interdium.* 10. *ann.* 1:

(*t*) Ubi Sanctissimi Sacramenti Sodalitas instituta erit, tertia quaque singulorum mensium Dominica, ubi autem Rosarii Societas, prima quaque singulorum pariter Mensium Processio habeatur; de Indulgentiis quoque ob id concessis Parochi Populum moneant, ut alacrius intersit, & quotidie magis devotio augeatur. (*u*) Porro infra Octavam Corporis Christi, aut horis matutinis singulorum dierum, aut saltem octava die Brevis Processio habeatur. (*x*) Die vero Parasceves Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum nunquam efferatur.

CAPUT

CAPUT XXVI.

DE CANONICIS,

& distributionibus Quotidianis.

CUM in terris Ecclesia, militantem quam (mus imago sit Triunfantis ejus, quæ in Cœlis est, sicuti hæc æternis laudibus (a) Deum Trinum, & Unum celebrat, ita illa Almæ Sionis æmula Hymnis, & Canticis Deum Optimum Maximum ut rite colat & laudet, necesse est. Quod cum (b) Primi Sanctique Patres optime intellexerint, jusserunt, ut statis horis per singulos dies Divinæ laudes summo omnium Principi persolverentur; æque enim in terris Hymnus (c) Deum decet, ac in Sion. Quod ministerium sane Angelicum Clericis, & Sacerdotibus, in primis vero Canonicis omnibus commissum est, quorum ex Ore ut dulcis hic sonus resonet, omnino oportet. Quod quidem recte fiet, si qui ceteris dignitate præsunt, non verbis modo, sed & exemplo ejusmodi sese præbeant, ut (d) dum ex eorum Canticis fumus veluti quidam aromatum in faciem Domini ascendit, ad rectam Sanctamque vivendi regulam, quam nomine significant, vitam & mores conformaverint.

Cathedralis itaque hujusce Nostræ & aliarum Collegiatarum Canonici Doctrina & Virtute (e) ceteris Clericis omnibus longe præstent, necesse est: ita mores ad innocentiam & Sanctitatem conforment, ut digni esse videantur, quorum Consilium jure & merito Ecclesiæ Senatus, quem repræsentat, dici possit: Ita Ecclesiasticę disciplinæ studiosi sint, ut (f) ejus magistri esse cum videantur, nihil unquam eorum prætermittant, quæ Clericis omnibus alias servandas proposuimus. (g) decentes quare vestes, tam in Ecclesiam cum veniant, quam alio cum pergant, semper deferant: vetitas jam venationes, Choreas, Tabernas lususque fugiant: caritati invigilent, studeant dilectioni, modestiam foveant, & honestatem:

a] in fest. dedic. Eccles.

b] Vide Baronium tom. 1. an. Chri. 16 Petr. 16. n. 4.

c] Psal. 64. v. 1.

d] extrav. Joa. XXII. de vit. & hone. Cler. c. unic.

e] Conc. Tr. Ses. 24. de Ref. c. 12.

f] c. in omnibus de Consec. dist. 5.

g] Conc. Tr. loc. cit.

Digitized by Google

nestatem: Jurgiis rixisque abstineant; Religione denique, pietate, virtute ita inter ceteros emineant, ut ex Candelabro, ubi positi sunt, aliis lucem Sanctitatis praferant.

Porro cum ad id Canonicorum cœtus sit institutus, (*h*) ut ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam potentes sint, Episcopisque inserviant, nemo in eorum Colleggium cooptetur, nec unquam Nos ad illos patiemur, ut adsciscatur, qui vigesimum secundum ætatis annum non agat, quæque ad Canonicatum sunt necessaria, minime habeat, vel intra annum saltem præstare non possit: (*i*) Ad Canonicatus autem, quibus Animarum Cura conjuncta est, accedere qui voluerit, vigesimum quintum annum attingat, & Clericali versatus ordine, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur.

Ad Mansionarios quod attinet, qui ut huiusce Nostræ Cathedralis Choro inserviant, erunt eligendi, præter ea, quæ ab illis jura eorum instituta requirunt, Ecclesiasticæ Psalmodiæ periti omnino sint, (*K*) ex Prædecessorum Nostrorum mente & constitutione mandamus, cujus quidem rei juratorum hominum, qui ad id a Capitulo deligentur, testimonium Nobis dent.

De Professione Fidei a Canonicis, & ab aliis, qui eam debebunt, emittenda, (*l*) rata hoc loco facimus, quę alibi de re hac iam decrevimus.

Nisi (*m*) alternis vicibus clara, altaque voce in Choro cantaverint, distributionis participes, tanquam minime Residentes, ipso iure esse non possunt; Quod quidem cum Nobis maxime cordi sit, ipsis omnino præcipimus, distributione eos, qui non paruerint, mulctaturi. Punctatorum autem, quos dicunt, conscientiam oneramus, qui attentius de re hac non cognoverint, nec deficientes, favore omni studioque omisso, castigaverint, nec distributione privaverint. Ita enim (*n*) monentur ab Apostolo, ut *Psalmis Hymnis & canticis spiritualibus in gratia* cantent, qui Ecclesiæ stipendio militant. Reverendissimus Archidiaconus, ceterique, Choro qui præsunt, videant insuper attente, ne (*o*) Divinarum horarum recitatio sit festinantior, neve mutilentur verba, & si quæ parva consuetudo irrepserit, caveant, ut omnino tollatur, adeo ut tutta Conscientia fructibus possint participare.

(*p*) Nobis vero vel in Pontificalibus Sacra cum facimus, vel cum illis intersumus, duo semper Canonici, una cum Archidiacono ministrent. Porro ceteri ex ordine ad Nos inter Missarum solemnia per girum accedant, iisque peractis, quæ a Cæremoniali præcipiuntur, & benedictione impertata, locum, sedemque suam

Qui

h] *Conc. Tr. lo. cit & Sess. 22. de Ref. c. 4. in fine. c. Præterea de ætat. & qual. Ordin.*

i] *Conc. Trid. lo. cit. Sess. 24. in verb. Nemo. Alex. III in Conc. Lat. 3. Cōst. Cum in cunctis. c. ad hæc de of. Arch. § in quadam.*

k] *Cōst. Syn. Cen. h. tit. n. 3 in fine.*

l] *Vide in c. 1. § 4. per totum.*

m] *S. C. R. 20 April & 23. Novem. 1602. Argu. 3 extrav. cit.*

n] *ad Colos. 4. v. 16.*

o] *Clemēt. uni. de celeb. Miss. vide in Syn. Aqui. Prov. hoc. tit. & ibi dec. S. C. Rit. 2. Sept. 1597.*

p] *Cōc. Tr. d. Sess. 24. loc. cit § & Epi.*

Qui quotidianæ distributionis partem accipiunt ea conditione, ut Sacramenta ministrent, paratos semper se & promptos ad id præbeant. Hac vero de caussa per id tempus, quo divina tractantur in Choro, ne discedant, nisi gravem necessitatem causari, possint, de qua Choro qui præest, cognoscere debeat: Secus qui fecerit, distributione mulctetur.

(q) Jam vero Canonici quotidie omnes singulis Divinis Officiis statis horis interesse teneantur, quibus adimpletis distributionem percipiant, ii, qui officio defuerint, vel negligentes iis inceptis advenerint, tamquam absentes habeantur, earumque horarum, quarum recitationi non interfuerint, distributionibus mulctentur, quæ inter eos, qui adfuerunt, dividantur, quavis collusione aut remissione exclusa: (r) Per se autem, nec unquam per alium, iuxta Sanctiones Canonicas, Divina singuli munia obeant: ni fecerint, fructibus quibuscumque priventur.

(s) Legitimo impedimento qui irretiuntur, puta, qui gravi morbo laborant, a Residentia si absint, distributione ne careant. Item ii, qui in Ecclesiæ servitio commorantur, vel Nobis Diœcesim lustrantibus, aut quævis Pontificalia, Divinaque ubivis gentium agentibus inserviunt, ut non sunt laboris immunes, ita fiant distributionum participes: neque enim absentes dici possunt, qui Nobiscum in Ecclesiæ servitio sunt: idem jus esto de Examinatoribus ad Ordines, seu Beneficia, deque iis, qui Christianæ Catechesis Exercitationibus de mandato Nostro intersunt.

Ceterum (t) Nemo ex Canonicorum cætu a propria Ecclesia ultra tres menses abesse præsumat, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, siquæ sunt in Diœcesi, quæ longius servitii tempus requirunt; alioquin, anno primo unusquisque privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac Residentiæ fecisset suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedatur.

Quod si justa de caussa alicui Canonicorum a Choro abesse contigerit, Reverendissimum Archidiaconum, aut eum, qui Choro præest, qui si non adsint, seniorem Canonicum adeat, ut de ea certiorem faciat. (u) Punctatores autem munus suum quam diligentissime exequantur, Librumque, quo qui absunt notantur, ne cui videndum exhibeant, atque ita custodiant, ut ne fraus aliqua fieri possit. Nullum vel ut Residentem habeant, vel ut

q] *Conc. Tr. l. cit. in verb. distributiones. Bonifacius* VIII. *c. consuetudinem. de Cler. non residen. in* 6. *c. licet vobis de præbend. & dignitat. c. ad audientiam. & cap. cum ad hoc. & c. Clericos de Cler. non resid.*

r] *Concil. Trid loc. cit. in verb. omnes. c. quia nonnulli. de* Cleric. *non resident.*

s] *Constit. Sy. Episc. Leon Cen. hoc. tit. § qui ad quotidianam. an.* 1670.

c. de cetero. & c. ad audientiam. de Cleric. non Residen. dict. c. consuet. in 6. *& ibi Glos. lit.* E. *&* F.

absen-

Porro tacitis secretisque suffragiis omnia transigantur in Capitulo, quæ recensere Reverendiss. Archidiaconi, & respective Collegiatarum Præsulis, vel senioris Canonici, iis absentibus, erit; (D) Nihil vero ratum habeatur, quod majori parti minime placuerit. Ne liceat, quæ in Capitulo acta sunt, prodere; & de iis, in quibus, dissensio aliqua suborietur, remediis opportunis providebuntur; (E) Divina porro officia dum recitantur, Capitulum ne convocetur: neve diebus Festis, nisi iis de Caussis, quæ Præsuli probari debebunt.

D] c. in cũ. ctis de iis que fiunt a mai. par. cap.

E] S. C. R. 17. Novem. 1600.

(F) Acta Capituli, & scripta publico Chyrografo a Cancellario obsignata diligenter in Archivio serventur ad perpetuam memoriam, Claves apud eos sint, qui ad id delecti fuerint, neque unquam aperiatur, aut aliquid amoveatur, nisi iis presentibus, & universi Capituli consensu. Ordinatim statuta Catastica, & inventaria quę dicunt, confines item jurium & terrarum in eo collocentur. Si quis apud se scripta ad Præbendas Canonicales, vel ad Jura Capituli pertinentia privatim retineat, ex lege Sanctæ obedientię restituat, & in Archivio reponat.

F] Constit. Syn. Cen. cit. hoc tit. n. 10.

Inposterum Lites omnes, & Contentiones de loco de Privilegiis, deque Stalis in Choro tollantur; (G) *non enim est dissensionis Deus* Præceptor Noster & Exemplar, *sed pacis*. Singuli seu Canonici sint, seu Mansionarii, ceterique Sacerdotes, Clericique Omnes, qui utcumque Choro intersunt, locum obtineant, quem sibi vel consuetudine, vel Nostris Constitutionibus datum fuisse intellexerit. Idem dicito de incensationibus, aliisque similibus ceremoniis, quæ iuxta consuetudinem servantor. Præsules vero, Chorique Rectores, quicumque hi fuerint, eiusmodi rixarum & contentionum auctores, ex obedientiæ Jure ad Nos deferant, ut ab ipsis pęnas etiam suspensionis a Divinis repetamus. Cui legi vel ii pareant Sacerdotes, qui in aliis quibuscumque Ecclesiis Choro inserviunt.

G] ad Cor. 1. 14.

Capituli munia quotannis Canonici sortiantur, quæ si quis obire noluerit, distributionis fructibus ad ipsum mensem mulctabitur. Quid plura? (H) Cetera omnia retineantur, & exacte serventur; iuxta laudabiles Eminentiss. Cardin. Turriani constitutiones, quas nunc firmas Sanctasque facimus.

H] Decre. cit. Cardin. Tur. Episcop. Cenet.

§ DE

458

§

DE HORIS CANONICIS.

HORAS Canonicas cum dicimus, preces illas intelligimus, quas Deo, e Sacrorum Canonum Lege, Clerici & Sacerdotes Ecclesiæ nomine voce effundunt. Quæ quidem preces Divinum Officium quas dicunt, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis exordium habuerunt. Jam tum enim a primis illis Ecclesiæ temporibus (a) *Petrus & Joannes ascendebant in* Templum *ad horam Orationis Nonam* (b) *Media nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum*. (c) *Petrus in superiora, ut oraret, circa horam sextam* ascendebat. (d) Apostolique omnes Canonica lege sanxerunt, ut precationes fierent *Mane*, *hora tertia*, *sexta*, *Nona*, *ad Vesperas*, *atque at Galli cantum*. Cui quidem ad hæc tempora (e) Ecclesia semper paruit: nec defuere in veteri quoque lege, qui (f) septies in die Deum laudantes huius nobis necessitatis significationem dederint.

Licet equidem ex Religionis Præcepto Fideles omnes (g) semper orare, atque adeo sine intermissione orare debeant, Nos tamen (h) lege Ecclesiastica ita obstringimur, ut hanc recitandarum horarum methodum si omittamus, nullamque necessitatem causari possimus, lethalis culpæ pœna afficiamur: ex quo fit, ut qui vel Sacro Ordine sunt insigniti, vel Ecclesiasticum Beneficium possident, nulla ratione excipiantur. Omnes itaque, qui legi huic parere debent, attente non modo, verum etiam devote, virtuali saltem attentione adhibita, satisfaciant. (i) Orent spiritu, orent & mente, psallant spiritu, psallant & mente. (K) Distincte singula verba proferant, ne præfinitum a Libello ordinem interturbent, nullam Officii partem prætermittant, ne risus, aut vanas collocutiones intermisceant. Psalmos, Hymnos Horasque notabiliter, ut aiunt, ne obrumpant, ne iis quadret illa Domini querela: (l) *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. (m) Ante Orationem preparent Animam suam, ne sint tanquam homines tentantes Deum: (n) Equidem *Non est speciosa laus in ore peccatoris*; (o) & Dominus, qui *longe est ab impiis*, *Orationes justorum exaudiet*. Omnia Demum fideliter servent, quæ Generalibus Rubricis tam ex præcepto, quam ex Consilio præscribuntur.

Ecclesiasticum Beneficium qui obtinet (p) sive ei Animarum cura

a] *Act.* 3. *v.* 1.
b] *Act.* 16. *v.* 25.
c] *Act.* 10. *v.* 10.
d] *Clemēs Pap.* 1. *lib.* 8. *Constit. Can. Apost.* 34.
e] *c. Dolentes et c. Præsbyter. de celebr. Miss.* *c. Præsbyt. Dist.* 91.
f] *ex Psal.* 118. *v.* 164.
g] *ex Luc.* 18. *ex Epist. ad Eph.* 6. *v.* 18.
h) *dic. cap. dolentes. de celeb. Mis.* *c. per ambitiosum. de Rescript. in* 6 *Conc. Late. Sess.* 9. § *statuimus.*
i) *ex Epist. ad Corin.* 14.
K) *ex Div. Cypr. in Ora. Dominical.*
l) *Isai.* 16.
m) *ex Ec. clesi.* 18. *v.* 25
n) *Eccles.* 15. *v.* 9.

Digitized by Google

cura conjuncta sit, sive non, dummodo ad horas Divinas recitandas possessorem adiiciat, si post sex menses ab eo die, quo impetraverint, nullo gravi impedimento irretiti, Divinum Officium intermittant, haud illis fructus Beneficiorum in rem suam deducere liceat. Quare ejusmodi desidiosos, & negligentes homines si deprehenderimus, non pœnis modo ad arbitrium Nostrum puniemus, verum etiam ad fructuum restitutionem pro rata, ut ajunt, cuiuscumque diei, quo Divinum Officium omiserint, etiam per censuras Ecclesiasticas adigemus. Si vero quindecim ipsos dies Officium intermisisse reperiemus, & admoniti non resipuerint, Beneficio privabimus. Cui ex aliquo Beneficio Ecclesiastico Pensio persolvitur, (q) is Officium Parvum Beatæ Mariæ Virginis quotidie recitet, licet vel ob redditnum tenuitatem, vel ob Apostolicam Indulgentiam a deferendo Clericali habitu dispensetur. Verum cum (r) pluribus de caussis a Divinarum horarum recitatione cessare liceat, nec hujus loci sit, nec hujus otii ea recensere, par erit, ut quisque hac de re Summistas & Canonistas consulat.

Cum onus canendi in Choro Horas Canonicas Canonicis, & Præbendatis præcipue impositum sit, nisi gravi necessitate urgeantur, (s) quæ licitum facit, quod in lege illicitum est, nulla alia de caussa tum in Cathedrali hac Nostra, tum in aliis Diœcesis Collegiatis qui resident, a celebrandis quotidie in Choro statis horis Divinis Laudibus excipiantur. (t) Porro Turrianæ Constitutiones in Urbe, extra vero peculiares serventur. Ubi vero laudabilis est recitandi in Choro Beatæ Mariæ Virginis Officium consuetudo, ab ea ne recedatur.

Ad duas Missas celebrandas quod attinet in hac Cathedrali Nostra in feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, si quando in illis occurrat Festum duplex, vel Semiduplex, aut aliqua Octava, juxta Rubricas (u) Missalis Romani, quarum altera sit de Sancto post Tertiam, altera vero de Feria post Nonam, reservata sit facultas Capitulo recurrendi ad Sacram Concilii Congregationem pro ulteriore explicatione; sed interim servetur quod institutum fuit (x) a Prædecessore Nostro, qui proxime obiit. Ad Officium vero Defunctorum quod pertinet, quæ ex Rubrica Breviarii Romani (y) idem Prædecessor instituit, rata hoc loco facimus, & confirmamus.

Præterea postridie ejus diei, quo Omnium Defunctorum commemoratio fit in Cathedrali Nostra, & Collegiatis Ecclesiis solemne Sacrum pro Prædecessoribus Nostris, sequenti vero die pro omnibus Canonicis Defunctis, Mansionariis, Capellanis ceterisque omnibus de Choro de more fiat.

Q Por-

p] *dic. cap. per ambitiose. de Rescript. in 6. Leo. X. Constit. Supernæ. an. 3 Pius V. Cōstit. ex primo 135. an. 6.*

q] *Pius V. dic. Const: ex primo.*

r] *argum: in c. Clericus victum. dist. 91. & in c. 1. & 2. VII. q. 1*

s] *c. 4. de Reg. Jur. in 6*

t] *dict. dec. Card. Turri, Ep. Cenet.*

u] *Miss. Ro. Rubr.*

x] *Cōst. Sy. Cen. c. de Sacrific. Miss. n. 29.*

y] *dic. nu. 29. in fine.*

Digitized by Google

z]S.C.Epiſ. 18.Apr.1617 Porro nemo (z) inter Reſidentes habeatur quacumque de cauſſa in Choro, qui Canonicis decentibuſque veſtibus minime ſit indutus, quique opportune non accedat, & ad finem uſque Divinorum Officiorum in Choro non maneat. (A) Qui vero per id tempus, res Divina cum agitur, a Stalo diſcedit, vanos ſermunculos permiſcet, privatim Officium legit, aliaque facit id genus, quicumque tandem ille fuerit, fructibus Reſidentiæ privetur.

A] d.Clem. uni. de celeb. c.dolentes.de celebr.

Par equidem eſſe videtur, (B) ut ſicuti Cathedralis hæc Noſtra ceteris dignitate præcellit, ita ceteris exemplar ſeſe præbeat Sacerdotalis dignitatis. Quare prompte, & alacriter ad Campanæ ſonitum quiſque accedat; Campanula vero, qua ii, qui Choro interſunt, convocantur, ex laudabili conſuetudine prout tempus exiguerit, pulſetur, datoque a Chori Præſule ſigno, rerum Divinarum actio inſtituatur. Tempus autem, & horas ad id vel Reverendiſſimus Archidiaconus, vel, eo abſente ſenior Canonicus pro tempore præſtituat: Campanula vero ad horæ dimidium pulſetur, & inter id temporis punctum, quo ejus ſonitus intermittetur, & Divinarum horarum initium, quarta unius pars horæ interſit: qui autem in Chorum venerint, Nobis præſentibus, poſtquam in Sede Noſtra erimus, tanquam non reſidentes habeantur.

B] c.de iis. diſt. 12.

Officiales & Miniſtri nemini pareant, niſi ei, qui res Chori debeat adminiſtrare. Porro ſinguli per ſingulas Hebdomadas Hebdomadarii ubique deligantur; ii Officio initium dabunt, præſtabuntque ea omnia, quæ ex cujuſque Eccleſiæ conſuetudine ſervari debent. (C) ſemper in Choro, nunquam vero alibi Horę Canonicæ recitentur, niſi Nos facultatem ad id conceſſerimus. Cautum quoque ſit, ne ſub Veſperas Matutinum recitetur, vel Veſperæ de mane, niſi aliud neceſſitas, aut rei, aut temporis, de qua Reverendiſſimus Archidiaconus, & reſpective Chori Præſules cognoverint, poſtulaverit. (D) Die feſto Sancti Titiani, ejuſque translationis, leges de Matutino recitando, deque loco a Nobis perlatæ, Eccleſiam hanc cum inviſimus, in Cathedrali Noſtra ſerventur.

C] S.C.Rit. 18. Octob. 1595.

D] decret. ſpec.noſtr.an.

Par Nobis eſſe videtur, (E) ut Sacerdotes Clericique omnes, qui Dei milites ſunt, ſingulis ſaltem diebus Feſtis rebus Divinis interſint, ut quem corde Deum profitentur, ore collaudent. Quare graves ad arbitrium pœnas dabunt, qui ab Eccleſiis ſive Parochialibus, ſive Collegiatis, quibus adſcripti ſunt, niſi grave aliquid cauſari poterunt, iis diebus abſuerint. Periurii reos Chori Præſules, Parochique omnes ſe facient, ſi teſtimonium de Clericis, & Sacerdotibus Nobis dabunt, qui hac in re deſidioſi, ac negligentes fuerint.

E] dicta Clem. unic. de cele.Miſſ. c. Eleutherius. & cap. Presbyt.diſt. 91.

fuerint. Singulis itaque mensibus eorum nomina ad Curiam Nostram Episcopalem deferant tabulis jureiurando firmatis, qui non paruerint. Id si prætermiserint, non modo Nostram in se indignationem concitabunt, verum etiam obedientiæ leges infringent. Ejusmodi genus hominum, qui ab Ecclesiis absunt, & per desidiam vitam transigunt, nunquam vel ad funera, vel ad alios quoscumque Ecclesiæ fructus percipiendos admittantur.

Porro qui in Urbe sunt, eadem lege, iisdemque pœnis singulis diebus festis, & Nos præcipue cum adsumus, sacrumque solemne agimus, ut cum maxime Ecclesiæ inservire cogantur. De iis, qui neglexerint, certiores ut simus, deligatur aliquis a Capitulo, qui apud se librum habeat, quo singulorum Sacerdotum, & Clericorum hujusce Civitatis nomina descripta sint, ut negligentes cum deprehenderit, deferre possit; quod si neglexerit pœnis ad arbitrium mulctator. Nemo autem eorum, qui in Urbe sint, vel extra, ad ullum munus obeundum deligetur, aut ad superiorem ordinem promovebitur, nisi ex Juratorum hominum testimonio se assidue Ecclesiæ suæ operam navasse probaverit. (F) Dies autem, quibus rebus Divinis Nos præesse in hac Cathedrali Nostra debebimus, infra enumerabimus.

F] *in Calc. Syn.dec spec.*

§

DE OFFICIALIBUS CHORI,

Seu

Ministris Chori, & Ecclesiæ.

CUM Templa Nostra ea sint, (*a*) quę se fundaturum Dominus pollicitus est, de Jacob Tabernaculo cum loqueretur, cumque *juxta ordinem suum* illa se fundare velle decreverit, quorum cætus coram eo permaneret, non modo (*b*) sanctitatem, verum & cultum, plenamque Religionem decere intelligimus, quæ profecto pulcherrimi ejus ordinis initia sunt, & maxime omnium a Ministris Templi perficiuntur; unde fit, ut de iis Nos verba facere oportere existimaverimus.

a] *ex Jere. 30.v.18. & seq.*

b] *ex Psal. 93. v. 7.*

Ceteris itaque Ecclesiæ Ministris Reverendissimus Archidiaconus in Cathedrali Nostra præsit; In Collegiatis vero, qui ceteros

 dignitate

892

dignitate antecellunt. Ad eos in primis ſpectabit Clericis, ceteriſque Eccleſiæ Miniſtris, quæ peragenda ſunt, præcipere, Divinum Officium ordinare, attente cavere, ne quidquam de Divinorum officiorum inſtitutione prætermittatur, neve aliquid negligatur eorum, quæ ad optimum Chori ordinem rationemque pertineant, quæque vel communibus, vel peculiaribus conſtitutionibus præſcribuntur. Curent, ut ſingula ſuo tempore decenter, & ex ordine fiant; ſi quis ſuo muneri deerit, graviter quidem, ſed amice moneat, & ſi in parte fructuum erit, mulctet diſtributione; Quod ſi nocentes eorum admonitionibus non reſipuerint, Nobis denuncient, in eos ſiquidem acriter animadvertemus. Quodquidem munus, Archidiaconus vel dignitas ſi abſuerit, penes ſeniorem Canonicum ſit: ſiquis alius hoc ſibi arrogaverit, diſtributione ejus horæ, quę tunc recitabitur, mulctator.

(c) Eorundem quoque erit, nam ideo oculi vocantur Epiſcopi, quæ corrigenda ſunt in Eccleſiis ſibi ſubjectis, corrigere, quæve decernenda ſunt, decernere, niſi tam graves, aut difficiles res acciderint, ut iis Noſtra auctoritate mederi debeamus. Efficiant, ut Clerus univerſus a diſciplina Eccleſiaſtica ne recedat, & quiſque Officii ſui ſatagat: Paramenta, Vaſa, ceteraque ad res Divinas & Sacrificia neceſſaria ne deſint, ut Altaria decenter ornata ſint; ſi Templa vitium fecerint, reparentur: quorum ſingula ſi omiſerint, (d) rationem coram Deo reddent, pænisque ad Noſtrum Arbitrium punientur.

Cęremoniarum Magiſter, qui Sacros Ritus & Religionis cultum ceteros docere debet, ſtrenue in re ſua laboret: ritus omnes, (e) qui in Cæremoniali Romano conſcripti ſunt, perbelle calleat: Paramenta, Vaſa, omnia denique ad res Divina ſpectantia, ſuo loco, & tempore opportune ut apparentur, efficiat: alterius vicaria opera cum nunquam ei uti liceat, tum vero maxime nefas erit, cum in Pontificalibus Nos rem Divinam faciemus. (f) De ſuo quemque Eccleſiæ Miniſtrum officio admoneat, rudes adoleſcentes, quibus Evangelium, vel alia id genus publice erunt recitanda, in Sacriſtia prius audiat, & erudiat: qui ei non obedierint, Chori Præfectus corripiat, contumaces ad Nos deferat, quos non graviſſimis pœnis modo puniemus, verum etiam ex delicti gravitate Clericali veſte privabimus.

(g) Eccleſiæ Sacriſta, qui Cuſtos etiam appellatur, ſibi cuſtodienda committi intelligat, quæ ad Eccleſiam pertinent: In primis itaque oportet, ut Reverendiſs. Archidiacono ... omnibus pareat, Pallia, Linteamina Altaris, ceteraque Eccleſiæ ſuppellectilia diligenter ſerven-

c] c. 1. & c. *ea & c. ad hac de offic. Archid.* *Conc. Trid. Seſſ. 24. de Ref. cap. 12.* *c. perlectis. diſt. 25. in verb. Archidiaco.*

d] *dic. c. 1. de offic. Archid.*

e] *Cærem. Roma. Juſſu Pauli V. edit.*

f] *Concil. Prov. Aqui. de divi. offic. § in Cathedrali.* *Conc. Med. Prov. de offi. Magiſt. Cær. c. unic.*

g] *c. unic. de offic. Sacriſt. c. 1. & 2. de offic. Cuſtod.*

Digitized by Google

serventur: Sacrarum Vestium, quæ Vestes Aaron sunt; & vasorum curam assiduam habeat; lumina, quæ sive cera, sive oleo nutriuntur, sollicite præparet: Vestes Sacræ laceræ esse si cœperint, curet, ut sarciantur, & Vasa omnia in promptuariis seris munitis custodiat. Caveat, ne Hostiæ, ne vinum, ne cerea lumina ad rem Divinam faciendam necessaria desint: quæ tandem ornamento, Majestati, splendorique Ecclesiæ inserviunt, efficiat, ut adsint. (h) Nunquam patiatur, ut noctu aliquis in Ecclesia commoretur, provideatque quam maxime, ne Altaria spolientur, aut aliquid utcumque surripietur. Quod si minus idoneus ad hæc præstanda erit, (i) reprehendatur ab Archidiacono, ut resipiscat, sin minus, alius aptus domui Dei minister constituatur, & omnia in honorem Domini fiant.

h] ex Conc. Med. c. uni. de offic: Custod.

i] dic. c. un. de offic. Cust.

Quæ fideliter ut efficiat, stipendio ejus diei, quo defuerit, aliisque pœnis mulctator, nisi quotidie Sachristiæ præsto sit, sique in ea non permanserit usque eo dum nulla rerum Sacrarum in Ecclesia peragatur; idest usque eo dum probabiliter nullum amplius eo die sacrum fieri posse putabit. Quod si contumax deprehendatur, per eos, apud quos jus erit, nulla suffragante caussa, officio privetur: si vero illi neglexerint, vel Nos, vel Gen. Vicarius Noster id exequemur.

Ne autem aliquid, quod non paruerit, causari possit, in Urbe hac, & Cathedrali Nostra, Massarios, quos dicunt, hortamur in Domino, ut quotidie cerea lumina, oleumque ad ejus diei usum necessaria distribuant, vestes, & cetera omnia, de quibus ad illos providere pertinet, prompte, & diligenter expediant.

Porro Custodis erit ex S. obedientiæ lege; si minus hęc pręstiterint, eos ad Nos, vel ad Vicarium Nostrum Generalem deferre. Curati vero, quorum est in hac Cathedrali Hostias & vinum ad Sacrificium necessarium suppeditare, caveant ex vi obedientiæ, ne unquam deficiant.

(k) Vestes, Calices, ceteraque omnia ad Sacrificium Missæ pertinentia, quæ privati juris minime sint, in rem suam nemo deducat, aut sibi servet in Cathedrali Nostra quicumque tandem ille sit, ea qui habet, reddere teneatur: qui renuerit, ad Nos per custodem deferatur, ut, si opus fuerit, Ecclesiasticis etiam censuris ad id compellatur. Qua in re negligens Custos si fuerit, pœnas dabit.

K] Speci. decr. Nostr. eman. in Visitat. an. 1712.

(l) Thesaurarius Capituli, sive is OEconomus appelletur, quotidianas portiunculas singulis pro labore, & munere ex prescriptione Juris, & constitutionum, servato prius Punctatoris libello, distribuat. Massarii vero, quos dicunt, fabricæ, & Ecclesiæ redditus administrantes, laborem æquo suscipiant animo, & in mentem veniant, se Divini Patrimonii Ministros esse, & Curatores.

l] dic. Conc. Med. Prov. de offic. Thesaur. c. unic.

Ostiolum prope Campanile quod ad hujusce Cathedralis Sacristiam accessum facit, nę Ecclesiæ dedecori sit, præcipimus, ut Cla-

Digitized by Google

ut Clavibus obseretur, quæ apud unum Reverendissimum Archidiaconum sint, vel is si absuerit, apud seniorem Canonicum, neque vero liceat quavis de caussa illud reserare, nisi a Custode Clavium per singulas vices ad id facultas concessa fuerit. Hoc vero tam Reverendissimo Archidiacono, quam ceteris Canonicis omnibus ex vi Sanctæ obedientiæ præcipimus: ni faxint, aliud de hac re consilium capiemus.

CAPUT XXVII.

DE ECCLESIIS, & ALTARIBUS

Construendis, & Consecrandis.

a] *ex Psal. 25. v. 8.*
b] *Paralipo. 1. c. 22. v. 14.*
c] *ex Paralip. 1. c. 29. v. 1.*
d] *3. Reg. 5. & 6.*
e] *ex Parali. 1. c. 28. v. 2.*
f] *ex Apocalips. 21. v. 3.*

QUAM cordi fuerit David Regi (*a*) decor domus Domini, & locus habitationis gloriæ Dei, ex eo facile videre est, quod ad magnificum hoc opus (*b*) in paupertate sua preparavit *impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris vero, & ferri non est pondus*, & vincebatur numerus magnitudine. (*c*) Opus equidem pergrande, quod non homini præpararetur sed Deo; quod porro cum Salomon Filius adimpleret, quomodo Paternum imperium, magnitudinemque adimpleret, (*d*) sane in Sacris litteris videre est. Si igitur tantus deferebatur honos Templo illi, in quo quamvis (*e*) Fœderis Arca asservaretur, per quam facilius lacrymis & Orationibus Populi Dominus placari posset, tamen de Cęlo, hoc est e firmissimo habitaculo suo eorum preces audiebantur, quanta sane reverentia cultusque Christianorum Templis debetur, (*f*) ubi adest Tabernaculum Dei cum hominibus, ubi habitat Deus cum eis, ubi ipsi Populus ejus sunt, ubi ipse Deus

cum

Digitized by Google

cum eis ; ubi de Templo, de Templo autem suo Deus illos exaudit?

Ut itaque eo, quo decet, apparatu, ac splendore in hac Diœcesi Nostra Templa Domini construantur, primum statuimus, (g) ut quæcumque Templa, quæ recens ædificantur, de Nostra licentia erigantur: Tum vero, ut Nostrum sit Regiones locumque definire, lapidem primum ponere, nisi Nobis alterius ad id opera uti videbitur, & attente curare, ut perfici possint, (h) ne postquam ædificari cœperint, nequeant consummari. (i) De proventibus, eorumque dote per Nos cognoscatur, ne templa ædificanda iis careant adjumentis, quæ ad Sacrificia, Divinumque cultum, ob quem maxime construuntur, sunt necessaria. Quæ Lex non de Templis modo, sed etiam de altaribus intelligenda est, (K) quæ in Ecclesia ædificata jam, & dedicata, nisi de licentia Nostra, erigi ne liceat. Ea porro, quæ sic construentur Altaria (l) lapidea sint, aut saltem lapidea mensa ornentur; & probe ad sacrificia accommodata.

Ex frequentia, conventuque Populi cum Ecclesiarum omnium, tum vero maxime Parochialium fines præscribantur. (m) Cum enim Templa ipsa fæcundissimi agri sint, unde omnes fructus colligunt ad vitam æternam, necesse esse videtur, ut omnes capere possint. Porro quam magnificentissime, & ornentur, & construantur: Intra Ecclesiæ Tribunam, si fieri potest, gradus aliquis ad Altare majus ad Orientem positum, accessum præbeat: Laudabile præterea erit, si Columellis Chorus, & Altare, quo uni Clerici adire possint, circumcludatur. Cetera Altaria tantum inter se distent, ut ne Sacerdos sacra faciens aliis tędio, molestiaque sit: ne vero terga Majori Altari unquam vertantur, quodquidem indecorum maxime esset, nullum illi adversum Altare ponatur: ceterum firmi parietes, eorumque tecta ejusmodi, ut ruinæ periculum omne avertatur, in Templis erigendis construantur.

Subsellia omnia ejusdem structuræ & magnitudinis sunto, neve liceat, nisi iis, quos id ex dignitate deceat, altiorem locum, quam Ecclesiæ pavimentum, aut structura patitur, ut commodius rei Divinæ intersit, construere, aut elevatiore forma, vel a tergo, vel a lateribus ea distinguere. Tam prope ab Altari ne absint, ut qui intersunt, Sacrum facienti Sacerdoti incommodum aliquod parere possint. Quæ vero ex forma hoc Nostro Decreto præscripta in Ecclesiis constructa non reperiuntur, efficiant Ecclesię Rectores, quod ex lege Sanctæ Obedientiæ iis pręcipimus, ut ad eam redigantur.

g] c. Nemo Ecclesiam. de Cōsec. dist. 1. c. cuicumque XVI. q. 1 c. ad audientiam. 2: de Eccles. adif. c. de locorum & c. præcepta. & c. Ecclesias. & c. Basilicas. de Consecratio. dic. dist. 1.

h] Regum 3. 6. v. 9.

i] c. placuit 1. q. 2. c. Cum sicut de consec. Eccles. & ibi in Glos.

K] c. Nullus Præsbyt. de cōse. dist. 1.

l] c. Altaria 1. ibi

m [ex D. August. li. 1. contr. lit. Petil.

Consess.

496

Confessionalia loco patenti sita sint, & ea forma constructa; quam (n) alibi designavimus: Omnia insuper sint inter se similia, si id Ecclesiæ structura patietur. Vasa Aqua benedicta plena ad vestibulum, aditumque Ecclesiæ marmorea, & quoad ejus fieri potest, eleganter elaborata ponantur. (o) Singula Altaria Cruce Imagine Redemptoris, Candelabris, & pulvinaribus ornentur; Tabellæ ad Missam necessariæ adsint; Tribus linteaminibus albis, ceratoque insuper Ara Sacra sternatur, linoque decentis coloris linteamina cooperiantur. Frons cujusque Altaris decenti pallio ornetur, & Sacra aliqua Imago in Altari ipso ponatur.

(p) Ibi in primis, id commode si fieri potest, Templa erigantur, ubi ea maxime omnes venerari possint; nullusque eis injuriam faciat. A lanienis igitur, Cauponis, locisque artium rumori, aut tumultui obnoxiis omnino separentur; (q) sique locus patietur, ab omnibus ędificiis, & vicinarum ædium prospectu ita semota sint, ut vere Dei structura atque ædificatio esse videantur.

Firmos Campanile parietes habeat, validisque Trabibus dispertiatur, ut Campanæ sustentari possint: Clavibus, pessulisque Ostium obseretur, ne ulli, nisi ei, cui cura Campanarum commissa sit, aditus pateat. Ejus altitudo, campanarumque magnitudo redditibus, viribusque Ecclesiæ respondeat, quę nunquam in Ecclesiis Nobis subjectis suspendantur, (r) nisi prius Nos illis benedixerimus.

Prope Altare Majus, vel ubi id commodius fieri poterit, Sacristia sit, ex Ecclesiæ amplitudine, & necessitate constructa, (s) ubi Vestes, Paramenta, Vasa sacra, & suppellex tota intra armaria clavibus munita diligenter serventur. Labrum præterea, unde manus abstergantur, in ea ponatur: Mensa insuper aliqua Sacra Imagine ornata, & Oratorium Sacris precibus percommodum. (t) Capsa insuper in Sacristia sit Clavibus obserata, ubi Tabulæ, instrumenta, Librique omnes Ecclesiæ custodiantur: Tabellæ quoque quibus Missarum omnium, & Legatorum onera singula, singulos in menses, ac dies distributa, atque adeo decreta Nostra de recta Ecclesiæ administratione jam edita descripta sint. (u) Cum illud quoque curandum sit, ne ea, quæ Sacris Mysteriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, mandamus Concilii Tridentini valida auctoritate innixi, ut eæ Ecclesiæ, quæ reparatione indigent, reficiantur, & instaurentur fructibus, & proventibus quibuscumque ad eamdem Ecclesiam spectantibus; qui si non fuerint sufficientes, Patronos omnes, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos ipsos omnibus opportunis remediis, ejusdem Concilii (x) decretum persequentes ad id com-

n) *vide in c. de Sac. Pœnit. § Nemo autem infir.*

o] *Rubric. Miss. de præpar. Altar. Act. Mediol. Eccle.*

p] *c. Eccles. dist. 1. de Cōsecrat. c. Ecclesias* XVI. *q.* 7.

q] *S.C.Ep. 5. Mar.* 1619.

r] *de tal. Benedi. vide in c. de Sacr. Miss. § Nemini vero. & ibi notata*

s] *c. uni de offic. Sacris.*

t] *ex Syno. Metr. Aqui. hoc tit. § Sacristiam.*

u] *Concil. Trid. Ses.* 21. *de Ref. c.* 7. *et Ses.* 7. *de Ref. c.* 8. *c. de iis. & c. quicūque. de Eccl. ædif. vel reparan.*

x) *Cōc. Tridic. Ses.* 21. *l. cit. in verb. Parochiales.*

Digitized by Google

id compellemus. (y) Si quæ Templa omnino diruta sint, aut nimia egestate laborent, penitus destruantur, & ad Matrices seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in Profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

(z) Porro Parochiales Ecclesiæ, eæque omnes, in quibus Sanctissimum Sacramentum servatur, omnino debent dedicari. Quare diligenter curent Parochi, ut quæ recens erectæ sunt, quamprimum consecrentur: Nam si (A) Salomon, qui umbræ legis deserviebat, & omnis Israel cum eo celebrem fecit festivitatem in Templi consecratione, diligentius multo nos, quibus veritas patefacta est, & gratia data per Jesum Christum id facere oportet. Pridie ante consecrationem jejunium, & supplicationes Populo denuntientur, ut res tam ampla, tamque magnifica piis actionibus, & operibus, quod in nobis est, peragatur. (B) Ubi vero de Ecclesiarum consecratione dubitetur, quod nec a scripto, nec a testibus, nec ex aliquo monumento certi aliquid existat, denuo ex Canonum lege sine ulla dubitatione dedicentur; *neque enim*, quæ concepta (C) Canonis verba sunt, *dubium facit iterationem, quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum*. Porro Rectores singuli consecrationis proprii Templi testimonium habeant, (D) memoriamque eius diei, quo peracta sit, quotannis celebrent; (E) cum Dominus ipse nobis eius rei exemplum exhibuerit, qui die festo Dedicationis Templi, una cum populo ad eamdem festivitatem venit, fecitque *Encænia Hierosolymis*.

Ne passim ædiculæ construantur, (F) quod alias vetuimus, Nobis insciis, & renuentibus. (G) In privatis Oratoriis, quibus Nos antea minime benedixerimus, ne liceat rem Divinam facere.

Ecclesiæ Ministri, ne pro Altaris portatilis consecratione quæstum instituant; (H) id enim Simoniacam luem olere videtur; neve plus pro iis accipiant, quam pro non consecrato lapide acciperent.

Nulla Ecclesia tandem quavis de caussa Populo ante lucem aperiatur: omnes post occasum Solis claudantur. Omnium claves, atque in primis Parochialium Ecclesiarum, una cum Sacristiæ clavibus penes Parochos semper sint, vel penes eos, qui a Parochi delecti fuerint. (I) Antecessoris Nostri decretum hic ratum volumus, ut intra duos menses ostia ad Campanile extra Ecclesias aperiantur, ut accessus eo fiat, Ecclesia clausa.

y] Côc.Tr. d.Sess.21.loc. cit.i v.Quod si.c.Signa Eccl.de.cõs.D.1

z) c.Tabernaculum. & c. siquis. & c.sicut nõ alij & c. Missarum de cons. dist. 1.

A] 3.Reg.8 d c.Taber. §fecit.

B] c.Solemnitates 1. & c. Eccles. vel Altar.de cõsecr. dist.1.

C] d.c.Solemnitates.1 loc.cit.in fine

D] c. Solẽnitates 1. & 2 de consecr. dist. 1.

E] Joa. 10. v. 22.

F] c.de Sacris.Miss.

G] c.Missarum.& c.hic ergo. & cap. nullus de cõsecr.dist. 1.

H] c.siquis objecerit. 1. q. 1.

I] Const.Sy. hoc.tit.n.ult.

§

DE REVERENTIA ECCLESIIS DEBITA.

a] c. decet domum. de Immunit. Eccl. in 6. ibi Glosa c. Tabernaculū. de consec. dist. 1.
b] L. denūtiamus. c. de hiis qui ad Eccl. cunfug.
c] Ex Gen. 28. v. 16. Levit. 9. 2. Paralyp. 2. v. 6.
d] ex Daniel. 7. v. 10.
e] Joan. 2. v. 17.
f] c. de Sacrific. Miss. § ultim.
g] decet. domum. de Eccles. Immun. per totum. in 6. c. quando autem. de co s c. dist. 1.
h) dic. litt. denūtiamus. loc. cit.
i] c. Ejiciēs dist. 88.
K] d. c. decet domum. in 6. § 2. in fine.
l] Bulla Pii V. Cum primū. 1566

NON modo (a) Jura Divina, atque Ecclesiastica, verum (b) & Civilia vetant, ne in Sacrosanctis Ecclesiis, & in aliis venerabilibus locis, in quibus in pace, & quiete vota competit celebrari, seditiones excitentur, nequis conclamationibus utatur, tumultum moveat, impetumve committat. (c) Vere enim ibi Dominum esse, nemo est qui non videat, qui eum sibi Sanctuarium elegerit, ut adoleatur incensum coram illo, eum inibi omnes metuere ac revereri debent. Quinimmo Deus ipse, (d) cui centena millia in Cęlis assistunt, Templa manufacta in terris quoque non dedignatus (e) ementes, & vendentes e Templo cum ejecit, satis nos omnes edocuit, domum illam quæ Orationis domus est, intrinseca æque ac extrinseca veneratione esse colendam.

Quod ne usquam in hac Nostra Diœcesi negligatur, Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus, (f) quod alias præcipimus, nunc denuo mandamus, ut de Eccclesiarum veneratione Populos moneant, curentque in primis, (g) ut humiles, ac devote ingrediantur, grataque sit in eis Dei conversatio, & inspicientibus placita, quę considerantes non solum instruat, sed & reficiat: Sacris solemnibus attente, ac pie intersint, & Orationibus vacent: (h) Efficiant ut quarumlibet Universitatum Concilia, ut vana, & quod caput est, ut obscęna, & profana colloquia cessent, confabulationes, negotiationes, nundinę in Ecclesiis ne instituantur. (i) Omnia denique, quę Divinum Officium interturbare possunt, aut Divinæ Majestatis oculos offendere ab ipsis prorsus tollantur, ne ubi peccatorum venia est postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut committantur peccata. Qui vero has inhibitiones a Sacris Legibus desumptas animo petulanti contempserit, & a Parochis admonitus contumax erit, (K) Divinæ ultionis acrimoniam formidet, donec deliberaverit abstinere.

(l) Ne reponantur in Ecclesia servanda Feretra, Ligna, Scalæ ceteraque id genus, & si quæ sunt statim asportentur. Fruges, Olera, Fęnum, & alia hujusmodi nulla de caussa in Ecclesiis, Sacristiis,

Digitized by Google

cristiis, & cæmeteriis, sub gravissimis pœnis, & etiam suspensionis, si opus fuerit, reponantur; neque enim ad harum rerum custodiam Templa constructa sunt, (m) & ponere offendicula in domo, ubi nomen Domini invocari debet irritat eum ad ultionem. Capsæ, & Arcæ defunctorum, quę a pavimento altius emineant exportentur; Virorum subsellia a Mulieribus sejungantur: onera per Ecclesias, nisi earum ornamento inservire debeant, ne deferantur: (n) In iisdem, neque in sacristiis scholasteria habeantur; si quæ Capellę fuerint, quæ superiorem locum ad dormiendum habeant, destruantur; Vites, & arbores, si Ecclesiæ adhęreant, avellantur; omnia denique eo nitore, & elegantia, quæ Dei Tabernaculum decet, perluceant. Negligentes, aut renuentes severis pęnis perstringantur.

(o) Occisorum, aliorumque Cadaverum visum repertum, quod dicunt, a Notariis, & Cancellariis, tam in consecratis, quam in non consecratis Ecclesiis ne fiant; nulla insuper cędis cognitio, aut Processus instituatur, sed importata si fuerint, asportentur. Mandamus insuper sacras sequentes Constitutiones, ne Placitus, quos appellant, neve examen quodcumque habeatur; Hospitium Judicibus ne detur, nec ullus Iudiciorum, forive strepitus in Ecclesiis excitetur.

Ecclesiastica servetur immunitas, juxta (p) Antecessoris Nostri Decreta.

Ad Ecclesias vero locaque Sacra, & Religiosa confugientibus, si fuerint publici Latrones, viarum Grassatores, qui itinera frequentata, & publicas vias obsident, ac viatores aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie occiderit, aut assassinii (q) tam mandantes, quam mandatarii, vel hæresis, aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, neque iis, qui a Sacris Constitutionibus excipiuntur, Immunitas suffragetur.

m] *ex Jerem.* 30.

n] *ex Conc. Prov. Medi. de Im. Eccl.*

o] *dic. cap. decet domũ. §. 1. in fine. c. cum Eccle. sia & c. ut in domibus. de Im. Eccles.* Conc. Magun. c. 40.

p] *Cost. Sy. Cen. edit. an.* 1695. *hoc. tit. nu.* 4.

q] *c. pro humani. de Homicidio in* 6.

CAPUT XXVIII.

DE SEPULTURIS, ET CÆMETERIIS.

PLURES ambitiosos homines Mausolea apparatu constructa magnifico corporibus suis adhuc superstites præparasse, quasi vero gloriosum sit in sepulcris cum vermibus, & scorpionibus esse, Sacræ humanæque Litteræ passim ostendunt. Hinc Pyramides, marmoreaque moles, quæ exiguo cineri locum darent erectæ, quem ventus, & aura disperdit, & ad nihilum prope redigit, penes Egyptios; hinc superbia tumidæ, quasi dixerim, Arces penes Romanos, hinc penes populos omnes per omnia tempora inflata sepulcra extolli visa sunt. Verum enimvero, quid hac amentia deterius, (*a*) quid insanius, quid stultius aut fieri, aut esse potest, quam in ipsis sepulcris vermibus præparatis gloriam conlectari? de hoc sepulcrorum genere ita Dominus in Evangelio: (b) ***Patent foris speciosa hominibus, intus vero plena sunt mortuorum ossibus, & spurcitia.*** Quod equidem iis facile condonari potest, qui nihil prælentirent imposterum, nihil sperarent: eos vero, qui ad futura bona contendunt, pudeat miseros illos homines hac in re imitari. Quod cum optime Ecclesia intelligeret, videretque magnificum sepulturę apparatum, (*c*) vivorum magis solatium esse, quam mortuorum perfugium, (*d*) vanas hasce & inanes ambitionis pompas omnino tollere, & prohibere conata est.

a] *ex Div. Grisost. hom. in Psal.* 48.

b] *Matth:* 23. *v.* 27.

c] *ex Div. August. de Cura pro mortu.*

d] *Pius* V. *Constit. cum primum. an.* 1566.

Eius Nos itaque vestigia persequentes, ne ullum in hac Diœcesi sepulcrum condatur, non impetrata a Nobis primum, deinde ab

Digitized by Google

de ab Ecclesiæ ubi condendum erit Rectore facultate ; omnino vetamus. Si quæ vero construi patientur, Ecclesiarum decori, & Christianæ humilitati conveniant, neve e solo ita emineant, aut Parietibus ita inclusa sint, ut cineres, & Cadavera altiore loco condita esse videantur. Humi, idest in sinu communis Matris reponantur; homo enim (e) e terra conflatus cum terra denuo commisceri debet, pulvisque cum sit, rursus in terram, & pulverem converti: (f) diligenter præterea sepulcra occludantur, atque ita pavimento æquentur, ut incedentibus impedimento ne sint: ab Altaribus demum, & a Tribuna aliquo spatio distent.

Epitaphia, & inscriptiones, aliaque id genus monimenta, velut vanitatis, & superbiæ argumenta a Nobis omnino prohiberi deberent; veruntamen omnia, quoniam connivere licet, Nobis prius legenda tradantur, quam describantur: Parochi vero, qui Nobis insciis id permiserint, pęnis ad arbitrium Nostrum punientur. Porro Cruces, sacræque Imagines in profanarum tumulis Sarcophagisque, ne extent, nihilque in ipsis, quod minus honestum esse videatur, appareat.

Cęmeteria, ubi mortalium tumuli sunt, (h) Ecclesiis adiiciantur, (i) eorumque Jus, nisi præter Ordinem, & consuetudinem illud etiam ceterę Ecclesię habeant, penes tantum Parochiales sit. Eorum amplitudo Parochię extensioni respondeat, muro, ubi id fieri poterit, circumclaudantur; cratibus ferreis animalibus ingressus in illa occludatur; & Cruce perspicuo in loco posita muniantur. Ubi vero Ecclesiæ contigua non erunt, ostium claudatur, clavesque apud se is detineat, in cuius custodia erunt, qui eo nunquam nisi res postulaverit, ingredietur.

Cum Christifidelium Ossa, & cineres Cæmeteria contineant, ac eorum fortasse, ut sperare fas est, qui inter Beatos Cœlesti vita fruuntur, non sine maxima veneratione coli debent. Quare convivia, commessationes, choreæ, joci, nundinæ, negotiationes, ceteraque similia in Cæmeteriis ne fiant, Parochi caveant. Cæmenta, & Saxa, nisi e Sacris locis eruta, ibi ne custodiantur, asportentur alio: arbores, fruges, & olera recidantur, herbæque omnes, quæ ibi passim succrescunt, evellantur, quibus animalia pasci cum minime liceat, ex legibus Sanctæ obedientiæ Parochis pręcipimus, ut eas omnino exsiccari, & comburi jubeant: indecorum enim esse videtur Bestiis ea obiici, quæ ex Christianorum cineribus suboriuntur.

e] *ex Gen. 3. v. 19.*

f] *c. præcipiendum. § Prohibendum & c. quibus, in Glos.* XIII. *q. 2.*

g] *Concil.* Constantin. *c. 13.*

h] *c. cum gratia* XIII. *q. 2. c. Animæ* XXII. *q. 2.*

i] *c. 14. & 5. de sepult. c. cum quis. de sepult. in 6. c. Non est memus:* XIII. *q. 2.*

S. C. Rit. 8. Nov. 1599.

S.C. Ep. & Reg. 6. sept. 1593.

Porro

902

Porro cum sepulturæ electio, (K) iis quibus ius sit, libera omnino, & voluntaria esse debeat; (l) Universis Religionis cuiuslibet status, & conditionis, in virtute Sanctæ obedientiæ, æterna etiam maledictione intentata, omnino prohibemus, ne aliquem ad vovendum, jurandum, seu fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut in sua Ecclesia sepulturam eligat, vel jam aliunde electam ulterius non immutet. (m) Si quis autem sic elegerit, is nec in electa Ecclesia sepeliatur, nec in alia contra juramentum, & votum electa, sed in ea tantum, in qua sepeliendus de jure fuisset, si sepultura non electa decessisset. Si vero iidem Religiosi prædictos in suis Ecclesiis vel cœmeteriis sepelire præsumpserint, non modo Corpora restituere, si repetantur, verum etiam impensas omnes, quę occasione Sepulturæ ad eos pervenerint, intra decem dies, prout Sacri Canones constituerunt, quos & Nos ratos habemus, omnino reddere teneantur.

(n) Nihil omnino pro sepultura exigant Parochi: meminenerint responsi Ephron, (o) qui cum ab Abraham de pretio terræ interrogaretur, quam ad humandum Conjugis Corpus postulabat, renuit primum pretium accipere, ne commodum videretur de Cadavere consecutus; quod Paganus homo cum fecerit, quanto magis Nos, qui Christi Ministri, ac Sacerdotes, & dicimur, & sumus, facere debemus? haud tamen vetamus, (p) ne a Parentibus, vel hęredibus Defunctorum sponte oblata accipiant.

Omnibus denique, & quibuscumque interdicimus, ne Cadavera vel in totum, vel in partem extrahant, nisi id per Nos iis fieri liceat, quam tamen facultatem gravissimis tantum de caussis concedemus. Qui fecerit, pęnis (q) Jure statutis punietur: ad Urbem hanc vero, & Temporalem Jurisdictionem quod attinet, alias quoque gravissimas ad arbitrium, ab iis qui tale aliquid conati fuerint, repetemus.

K] *c. licet. de Sepult. in 6.*

l] *c. Animarum. de Sepult in 6.*

m] *dict. c. Animarum. § statuentes.*

n] *Concil. Triburn. c. 16. c. abolendæ de Sepul. c. quæstu. & c. in Ecclesias* XIII. *q.* 2.

o] *ex Gen.* 23.

p] *dict. c. quæstu. § sed si.*

q] *Extravag. com. de sepult. detestandæ. §* 2. *&* 3.

§ DE

Digitized by Google

§

DE FUNERIBUS, & EXEQUIIS.

VARIUM apud varias gentes, & nationes fuiſſe morem, & conſuetudinem circa Defunctorum Corpora paſſim a rerum hiſtoriis colligimus. (a) Aliç enim Feris ea objiciebant, aliæ cremabant, aliæ in aquas coniiciebant, aut aeri committebant. Verum Sancta Mater Eccleſia Chriſtianorum Corpora majori digna eſſe veneratione cum intelligeret, ſummopere vel a ſuis incunabulis ad hæc uſque tempora, de eorum humatione ſollicita ſemper fuit. Cum enim ad Spiritum illum immortalem cui locum præbuerunt, animum adverteret, & ad Eccleſias, ut efferrentur, & ut illis piis precibus parentaretur, inſtituit. (b) Quæ quidem funeris forma, exequiarum pompa quamquam Corporibus nihil proſit, minime tamen contemnenda eſt, nam per ipſas eleemoſynis, Sacrificiis, & Orationibus Fidelium, juſtorumque Animæ Deo dilectæ juvantur. (c) de profundis enim locis redemptionem a Cruciatibus, quibus iuſte torquentur, & purgantur, expectant.

a] vide carmina Sili Italic. & Caſſiod. in Catal. Gloriæ mundi p. 2. conſt. 5

b) c. Animæ. & ibi § Curatio. XIII. q. 2.

c) ex Pſal. 129. v. 1.

Quare Parochi ſimul ac aliquem de Populo e vita exceſſiſſe ſenſerint, de ejuſdem funeribus, & exequiis cogitent; Defunctorum Parentes adeant, ut de ſepultura, deque Exequiis iuxta eorum conditionem, locique conſuetudinem, eum illis conveniant. Clericos omnes, & Sacerdotes ad funus invitent, renuentes vero ne cogant; in eos, qui non adfuerint, vel qui adfuerint non invitati, Eleemoſynæ ne erogentur. Quam laudabile miſericordiæ opus ſit ſepelire mortuos, Populo oſtendat, (d) ut preces quiſque pro eis, *ut a peccatis ſolvantur*, effundat; (e) videaturque dies obitus nativitatis die beatior, atque felicior.

(f) Exequiarum, & funerum cauſſa nemini quicquam vel paciſci, vel exigere liceat; impium enim eſt (g) Sacrarum litterarum teſtimonio, mortuorum Carnibus ſaturari; quod quidem qui committeret in ſuſpicionem Simoniæ, ſordidęque avaritię veniret, eo animo hoc vetamus, (h) ne venalis fortaſſe [abſit verbo invidia] dicatur Eccleſia, aut Sacerdotes videantur: ipſi ſibi de hominum morte gratulari, qui ex eorum Cadaveribus lucrum faciant. Quare illud tantum pręmium accipiant, quod honeſta conſuetudine eorum, & Officialium laboribus eſt propoſitum. Egenos,

d) 2. Macab. c. 14. v. 46.

e) ex Eccl. 7. v. 3.

f) vide in c. ſup. §. nihil omnino. & ibi citat.

g) Job. 19. li. c.

h) ex Div. Greg. lib. 7. Regiſt.

nos, vero & pauperes, quibus nihil superest præter corpus, & Animam, aut qui in ea fortunarum tenuitate moriuntur, ut propriis impensis humari nequeant, vel Fidelium eleemosynis, vel Ecclesiæ sumptibus sepeliantur.

Ante Solis ortum, & post eius Occasum funera ne efferantur, quod quominus fiat, Parochorum erit impedire. Porro Mortuorum Cadavera, ante vigesimam quartam ab Animæ exitu horam ne humentur: qui repentina morte correptus decesserit, & mulieres, quæ ex partu, ante quadragesimam horam, ne sepeliantur: Tempus hoc protrahere, non æquum iudicamus.

Mortuorum Cadavera cum efferuntur, decenter id semper fiat: Sacerdotes & Clerici superpelliceo induti, Parochi vero etiam Stola ornati ex ordine procedant. Psalmi, & aliæ (i) a Rituali Romano institutæ preces a Sacerdotibus, & ceteris, qui funus prosequentur modeste, & religiose canantur. Ad Ecclesiam cum venerint, omnes circa locum, ubi Feretrum positum fuerit, stantes, officia, & institutas exequias celebrent. Parochus vero ea transigit omnia, quæ pro funere fieri contigerit, quæque a Rituali Romano præscribuntur. Intortitia, quæ dicunt, interea dum Exequiæ celebrantur, distributæque Candelæ ardeant, nec extinguantur, priusquam Cadaver humatum fuerit, ut quæcumque aviditatis suspicio, & scandalorum periculum removeatur.

Nemo nisi post sepultum cadaver ab exequiis, utcumque, aut a Processione se subtrahat: Qui non paruerint, obedientiæ leges violabunt, & distributionis portiunculæ mulcta sit; quam quidem pœnam irremissibiliter omnibus, qui non exequentur, irrogamus: deficientes, & negligentes Ecclesiæ Custos notet, & ad Nos deferat: si neglexerit, gravibus ad arbitrium pœnis punietur.

Ad Feretrum operiendum Ecclesiæ impensis stratum curetur, (k) caveaturque, ne ad exequiarum ornatum Altarium pallia, aut aliud quidquam quod usui sacro addictum sit, adhibeatur: (l) Neque enim ut corpora ornentur, Altaria pollui debent; stratum vero gratis ubique commodetur. (m) Ab inanibus vanisque pompis abstineto, neve in funere Defunctum laudato, neve ornato Anulis, aliisque insignibus, nisi ex titulo, aut dignitate hæc illis conveniant.

(n) Neque Clericus, neque Sacerdos alienum Parochianum, inconsulto Parocho, aut sepelire audeat, aut eius funera efferre, aut humandis Cadaveribus utcumque sese implicare; id enim nihil aliud est, nisi in alienam Possessionem irruere, & Parochos a Jure suo deturbare. Sacerdos qui id ausus fuerit, suspensione ipso facto pu-

i] Rit. Rom. de sepult.

k) c. Nemo per ignorantiam de Consec. dist. 1.

l] Concil. Avern. c. 3.

m] ex Concil. Prov. Mediol. de Exequiis § Nemini:

n] c. ex p. 1 de sepul. Sac. Cong. Episc. 14. Ja. 1604.

Digitized by Google

ćto puniatur: Clericus vero ad altiorem gradum nullo unquam tempore promovebitur.

Regulares si ad humanda Cadavera advocabuntur, una cum Clericis Sæcularibus incedere poterunt sui Ordinis Crucem sequentes, locumque qui illis in Processionibus Generalibus datus fuit obtinentes. (o) Quod si in eorum Ecclesiis humanda sint, ne id auctoritatis sibi arrogent, ut illa domo tollant, neve per alienam Parochiam Processionaliter ad Ecclesiam suam deferant: Parochorum enim id munus est, (p) qui corpora ad Regularium Ecclesias usque commitabuntur, ibique ea Regularibus cum tradiderint, Regulares ipsi cetera absolvant. Idem de Monialium Ecclesiarum Rectoribus, & quarumvis aliarum extra Parochiam in aliena iurisdictione positarum dicendum est.

Eorum maxime locorum consuetudo cōmendanda videtur pulsandarum Campanarum, statim ac aliquis in Parochia iam iam moriturus in extremo agone est: ita enim Populi admonentur, ut in eo puncto temporis quod maxime est formidandum Orationibus morientem adjuvent: Quę quidem ut ubique inducatur summopere desiderantes, Parochis aliisque omnibus stricte, ut ajunt, præcipimus, ut talem sonitum per ea tempora non ommittant. (q) Mors enim quæ ex peccato radicem habet, est omnibus maxime formidanda, & valde utiles, & caritati convenientes pro iis qui illam agunt Orationes,

o] *Bul: Leonis X. allegata a Zaphe: in ann. Jur. Pontif. tit. de Sepult. nu. 5. & seq.*

p] *decla. Card. relata ab Engel. lib. 2. tit. de Sepult. nu. 8. & a Petro de Murga in quest. post. p. 3 q. 7. n. 6.*

q] *Ex Div. Grysost. de Avar.*

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

DE BONIS ECCLESIASTICIS; & Locationibus;

a] *Constāti. Imper. in 4. Sæul. post advent. Christ. an. 313. Regnavit. Div. Sylvest. Tōt. Rom. Regnū, præter alia privilegia dedit: cuius exemplar habetur in c. 14 dist. 96.*

Ado Vien. Comēt. ætat. 6. Goffred. Viterbien. in Cronicis par. 3. c. 2.

b] *Vide infra. § siquis vero. & ibi notata.*

c] *Const. Sy. Cenet. cit. hoc tit n. 20. & oc. Prov. Aqui. de bonis & Jur. Eccles. tuend.*

ECCLESIARUM Patrimonia Imperatorum plerisque adeo cordi fuere, ut non illa tueri modo, atque defendere, verum etiam augere studuerint. Quot enim (*a*) Constantinus prædiis, Petri, & Pauli Ecclesias donarit, ***pro continuatione luminariorum***, ut vel ex ipso diplomate intelligere est, quibusve rebus dotaverit, locupletaverit, auxerit, satis ample narrant historiæ, sacrique Canones ostendunt. Cuius vestigia plures persecuti, & pietatem sane laudandam imitati, non Romanam modo, verum etiam alias Ecclesias, ea mente atque animo, ut Dei cultus in dies magis cresceret, splendidissime illustrarunt; quod equidem Ecclesiæ, atque adeo Christi Domini Patrimonium, aut imminuere, aut obligurire, quam impium scelestumq fit, vel ex hoc maxime intelligimus, quod Christi Domini Patrimonium est, & (*b*) Canones ipsi, & Pontifices passim demonstrant. Hoc ne in Ecclesia nostra ullo unquam tempore fiat, constitutionibus hisce Nostris in præsentiarum cavemus.

Ut ergo bona Ecclesiastica recte administrentur, & conserventur, omnes & singuli tum Laici homines, tum Ecclesiastici, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, Præstimonia, Portiones, aut alia quæcumque Ecclesiastica Jura, & Beneficia in hac Nostra Diœcesi possidentes, obtinentes, vel utcumque ministrantes, ex lege Sanctæ obedientiæ, (*c*) quod Antecessorum Nostrorum legibus sanctum est, & Nos ratum facimus, singula prædiorum singulorum nomina, domorum, censuum decimarum, proventuum, obventionum, & jurium ad suas Ecclesias pertinentium exponere, & ad catasticum publice deferre, locorumque fines, jura, & conditiones describere, & notare teneantur. Huius porro Catastici exemplaria duo fiant Notarii publici auctoritate, chirographoque obsignata, quorum alterum in Nostra Cancellaria Episcopali servetur, alterum vero ab ipsis Be-

ficiatis retineatur. Cum vero vel ipso tempore plura immutentur, plura adjungantur, necesse est, ut decimo quoque anno inventaria, quæ dicunt, innoventur. (d) Per ea tamen inventaria, ne aliquod detrimentum Ecclesiæ capiant, respectu quorumcumque aliorum Jurium, quę quandocumque, aut utcumque ad eam spectare viderentur, intelligimus.

(e) Qui posthac Ecclesiasticum aliquod Beneficium impetrabit, intra sex menses a die Possessionis Ecclesiæ suæ redditus in Catastico supputet, ac recenseat, Nobisque siquid auctum, aut diminutum fuerit significet: id si neglexerit, gravissimis ad arbitrium pęnis in eum animadvertemus.

Si quis vero adeo perditus Divinarum, & Ecclesiasticarum legum contemptor deprehendetur. (f) qui collectas decimas, prædia, Jurisdictiones, Bona, Census, Jura, Fructus, aut quævis alia ad Ecclesiam pertinentia per se, vel per alium surripere, usurpare, aut retinere, vel ea qui jure possident per vim, vel per metum inde deturbare pręsumat, ab Ecclesia segregetur, & excommunicationi latę sententiæ Sanctissimo reservatæ, tamdiu subjaceat quandiu omnia, in quæ invaserit Ecclesiarum bona, vel ipsis, vel ipsarum ministratoribus omnino restituat; Si vero eiusdem Ecclesię Patronus fuerit, sciat se incursurum pręterea in pœnas illas, quę a Sacris Constitutionibus sunt statutæ: indignus equidem est, qui ad Altare Domini aut contendat, aut accedat, qui bona Ecclesiæ, vel audet rapere, vel injuste possidere, vel iniquos possessores, & raptores defendere; necator siquidem pauperum esse judicatur, qui eorum alimenta bonaque rapit, & in rem suam deducit.

(g) Clericus vero, qui nefarię huius fraudis, & usurpationis fabricator, seu consentiens fuerit eisdem pęnis subjaceat, nec non quibuscumque Beneficiis privatus sit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur. A proprio insuper ministerio, & proprio ordine suspensus, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, ad Nostrum Arbitrium, juxta Sacri Concilii Tridentini decretum intelligatur.

Quod ut omnes plane intelligant, (h) & pœnarum cognitione a tam nefario scelere deterreantur, quotannis Parochi, & quidem Dominica prima Maji, inter Missarum solemnia Concilii Tridentini decretum hac de re vernaculo sermone Populis denuntient, & explicent; quod quidem illis ex lege Sanctæ obedientiæ pręcipimus & mandamus.

Jam vero Beneficiorum, rerumque Ecclesiasticarum possessores, & Ministri diligenter Ecclesię bona recuperent, quæ a Prędecesso-

d] d. Conc. Prov. Aqui. loc. cit.

e) d. Consti. Sy.. en. l. cit.

f] Cōc. Tri. Sess. 22. de Reform. c. 11. Conc. Turo. 2. c. 18. Conc. Aure. 3. c. 17 Conci Later. sub Leone X. Sess. 9. & 10. Bul. Pij V. Pastoralis. §. 17. c relatū. de Jure Patron §. ad hoc c. Prædia. et c. quicūque. & c. in legibus & seq. XXII. q. 2. & alia iur. quā plur.

g] Cōc Tri. loc. cit. in fine

h] Consti. Syn. Cen. hoc. tit. nu. 4.

ribus alienata fuerint, vel a pravis hominibus abstracta. (i) Ipsi vero nunquam aliquid distraere, divendere, donare, vel utcumque alienare audeant; ea enim quæ ad Ecclesiæ Jura pertinent tanquam ipsa sacrosancta Ecclesia essent, convenit ut custodiantur, quia singula ad Christum Dominum omnium Ecclesiarum caput, cui inserviunt, referuntur. Quod si a scelere tam gravi sola decreta eos nequeunt deterrere, pœnæ saltem arceant, quæ a sacris Canonibus intentantur, quæ ferme hæ sunt: Excommunicatio, interdictum ab Ecclesia, suspensio a quocumque officio, & Beneficio ipso facto incurrenda; a quibus nec per recuperationis pactum, vel cujusque conditionis usque eo dum in alienatione perstiterint nullo modo salvari poterunt.

(K) Ubi autem vel necessitas, vel Ecclesiæ utilitas id postulaverit res Ecclesiasticas alienare liceat, atque etiam de illis cum Laicis contrahere. dummodo tamen vel Sedis Apostolica patiatur, vel Nos, si res parvi momenti erit permittamus: in hoc quoque casu tali conditione ni fiat, easdem pœnas & Censuras intentamus. Cui vero alienationis huiusce caussa a summo Pontifice fuerit delegata, is diligenter conceptas in litteris, & supplicationibus formulas, & conditiones perpendat, caveatque quam maxime, solum Deum pre oculos habentes, ne alicuius favore ad inferendam Ecclesiæ injuriam & damnum inducatur. Id tam impie qui egerit, æque ac illi qui permissionum decreta per fraudem impetraverint, tanquam injustarũ alienationum cooperatores prædictis Censuris obnoxij sunt.

(l) Ecclesiasticorum bonorum Locationes ultra tres annos duraturas prohibemus: Eas vero quæ in successorum fraudem solutionibus anticipatis fictæ sunt invalidas (m) Sacra Tridentina Synodus declarat: Bona porro Ecclesiæ Propinquis ad tertium gradum locare, ne per interpositas quidem personas alicui liceat, nisi id summa Ecclesiæ utilitas, de qua cognoscere Nostrum erit postulare videatur.

(n) Locationem præterea perpetuam, Emphyteusim quam dicunt, quæ successoribus damno esse possunt, quæque iuris præscriptis adversantur omnino prohibemus. Contractus vero omnes directi dominii translationem habentes, servitutem, aut pignorationem jure vetitam continentes reiicimus, Fructus a solo nondum separatos alienare, Arbores adhuc vividas, nisi Ecclesiæ commodo decorive id fiat, evellere, ædibus, aliisque ad Ecclesiam spectanribus damnum inferre omnino ne liceat. Gravissimæ pœnæ iis qui non paruerint, irrogantor.

(o) Si quis scripta documenta, vel alia ad Ecclesiæ utilitatem

i] *Concil. Anccyr. c. 15 Paulus II. Const. cum in omnibus. ā. 1 Extravag. com. Ambitiosæ. de rebus Eccles. non alien. c. si quis & cap nulli liceat. & seq. de rebus Eccl. non alienan. c. statuimus. & c. Indigne & c. vobis enim & cap. quidquid & c. Diacon. XII. q. 2. cap. tua nuper de iis quæ fiunt a Prœla. c. si qua I. q. 2 c. ea enim & c. eiusmodi. X. q. 2. & al. pl.*

k] *c. placuit & c. sine exceptione. & c. non habēti. XII. q. 2. c. cum Laicis de rebus Eccl. nõ alie. c. Episcopus. & c. si quis. et c. præcarie X. q. 2.*

Digitized by Google

tem pertinentia, quibus eius possessio tutior fiat, vel supprimere, vel negare præsumpserit, seu ab aliquo ea celari intellexerit, & dolose non indicaverit, Laicus si fuerit statim excommunicationem, si vero Sacerdos etiam suspensionem a Divinis incurrat. Quod porro intelligimus etiam de iis, qui Legata pia vel occultant, vel dolo malo minime revelant, & de occultantibus scripta quæcumque Bono publico, quæ inserviant, aut ad Jus Episcopatus Nostri, quę pertineant; & de iis qui hos dolo malo non deferent; qui omnes pariter in Excommunicationem incident, a qua non nisi a Nobis absolventur.

Simul ac Beneficiatus aliquis diem obierit, scripta omnia & documenta ad Ecclesiam pertinentia colligantur Vicario Foraneo, aut seniori Parocho tradantur, ut illa diligenter in libello descripta, (p) successori consignanda servet. Nihil pro illis, etiamsi a defuncto aliquid expensum fuerit in iis colligendis, persolvatur; ad Jus enim Parochię omnino spectare videntur.

(q) Si hæredum aliquis aut scripturas, aut viduæ Ecclesiæ bona mobilia, aut immobilia, utcumque surripere, abscondere, distrahere, vel alienare præsumpserit, excommunicatione latæ sententiæ, huius Nostri decreti vigore, a Vicariis Foraneis feriantur. Porro iidem Vicarii nihil alio asportari, aut ab hæredibus auferri sinant, priusquam de Libello inventarii cognitum sit. (r) *Amico enim rapere furtum est, Ecclesiæ vero fraudare, vel pauperibus quidquam subtrahere sacrilegium.*

l] *Paulus II. const. ambitiosę. an. 1467. quam habes in Extrav. com. de reb. Eccl. non alien.*

m] *Concil. Trid. Sess. 25. de Ref. c. 11.*

n] *Conc. Tr. l. cit. c. 11. in fine.*

Paulus II. const cit. c. eam ∫ perpetua quoque. & c. huiusmodi. X. q. 2 c. ad audientiam. & cap. nullus de rebus Eccl. non alien.

o] *c. si quis 1 & 2.* XII. *q. 2. Concil. Agaten. c. 26 Concil. Aurel. 3. can. 17*

p] *c. sicubi* XII. *q. 5. Concil. Taraco. c. 12. c. charitatem.* XII *q. 2.*

q] *c. de Laicis. & dict. cap si quis.* XII. *q. 2.*

r] *Ex D. Hyeron. Epist. ad Nep. de vit. & hon. Cleric. c. Gloria* XII. *q. 2.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXX

DE

LEGATIS PIIS.

(a) CARCERE circumdamur homines, & plerunque ad alta nitentes surgere nostra fragilitate prepedimur. Contendendum attamen nobis est; (b) nam ubi de illo Nos educere Deus dignetur, dilectisque suis somnum dare, paratam hæreditatem, cuius possessio perpetua sit, ubi nos justi expectant, donec Dominus retribuat Nobis, habemus. Ejusmodi vero hæreditas nec ab eo capi potest, qui culpæ reus sit, nec ab illo qui omne pœnæ debitum non persolverit; sit hinc, (c) ut *in Spiritu Judicii, & spiritu ardoris* ii omnes purgentur, qui (d) *quadrantem novissimum* secum e carcere deferunt Divinæ justitiæ reddendum. Væ autem dilectis Christi Sponsis Animabus, quæ igne purgari debent, (e) quarumque incolatus prolongatur! (f) spes enim, quæ differtur, in illas sevit, efficitque, (g) ut in amaritudinibus facie Sponsi abscondita, oculi earum morentur. Verum multo magis miserum, ac deplorandum esse videtur, si (h) oblivioni datis, tanquam mortuis a corde, nemo eorum, ad quos maxime pertinet, suffragetur, nullusque super contritiones earum patiatur, qui tamen egentium necatores, quos dixerim, (i) *judicium sine misericordia* sibi expectent, quia non fecerunt misericordiam.

Præcipua igitur Animarum suffragia in iis Legatis sita cum sint, quæ sibimetipsis Testamento reliquerunt, Nos æque de felicitate Defunctorum soliciti, ac de viventium salute, enixe in Domino hortamur, & obsecramus, ut solicite relicta a Defunctis pia Legata hæredes adimpleant. Qua de re Parochi publice omnes, & singulos privatim admoneant, ostendantque homines, id qui negligunt, aut exequi differunt, (K) sacrorum Canonum legibus condemnari, atque adeo excommunicatione puniri. Miserum enim est

a] *ex Ep. ad Rom.* 7. *v.* 24 *Job.* c. 7. *v.* 12
b] *ex Psal.* 141. *v.* 10. & 126. *v.* 4.
c] *Isai.* 4. *lit.* B.
d) *Matth.* 5. *v.* 26.
e) *ex Psal.* 119. *v.* 5.
f] *Proverb.* 13. *v.* 12.
g) *Job.* 13. *v.* 14.
h] *ex Psal.* 30. *v.* 13.
i] *Ep. Jacob.* 2. *v.* 13.
K) *c. si quis n.* 6. & *c. qui oblationes* 1. & 2. & *cap. Clerici.* XIII *q.* 2. *c. Sacrilegiū.* XVII. *q.* 4. *Cōc. Cartag.* 4. *c.* 95. *Conc. Agat.* *c.* 4.

Digitized by Google

est, suis hostes carnibus saturare, atque adeo domesticos ipsos inimicos habere, cum defunctorum opera, ac studio bona illa parta fuerint, quæ hęredes dilapidant, pro quibus forsitan cruciantur, quodque sibimet reservarunt, humana crudelitas negat. Quare si aliquem in hoc deficientem inveniant Parochi, ad Nos illum deferant, ut pro viribus omnem adhibeamus diligentiam, ut adimpleantur Legata.

l] *ex Job. 19. lit. c.*

m] *c. tua nobis & cap. nos quidem & c. si hæredes de Testament.*

(*m*) Notarios quoque omnes, Tabelliones, & Scribas in Domino admoneant, (*n*) quod & a Prædecessoribus Nostris constitutum intelligimus, ut omnia pia Legata, quæ in ultimis voluntatibus, aut ipsi rogati conscripserint, aut ab aliis conscripta apud se habuerint, quæ vel nondum Ecclesiæ denuntiata esse intellexerint, vel utrum indicata fuerint necne dubitaverint, vel ad Nos, vel ad eos ad quos pertinent, mercede tamen ab eo, cujus interfit, recepta, deferant. Posthac vero cum aliquid id genus scripserint, intra duos menses a die obitus Testatoris, ut id faciant & præstent in Domino Jesu Christo eos hortamur & obsecramus. Omnium porro piorum Legatorum nomina oneribus, & muneribus quibuscumque expressis, (*o*) in Cancellaria Nostra peculiari libro describantur.

n] *Constit. Sy: Cen. hoc tit. n. 2.*

o] *Const. Sy Cen. cit. hoc. tit. nu. 2.*

Quæcumque in ultimis voluntatibus ad levandos paupertate Egenos, Hospitalibus, & Collegiis legata fuerint, in pauperes ex mente Testatoris distribuantur, (*p*) neve Legatariis liceat ea inter se dividere, aut partem aliquam usurpare, aut, in privatarum personarum rem deducere, idem de Parochis, Beneficiatis: Sacerdotibus, & Clericis judicium esto, qui ne sub paupertatis imagine quidem, nisi de licentia Nostra, sibi quidquam arrogare possint. Secus qui fecerint, gravissimis pœnis, quas jura intentant, puniantur. (*q*) Quæ vero ad pios usus Legata fuerint, aut Nobis inconsultis, aut etiam, si opus fuerit, Romana Curia, hæredumque consensu non adhibito, ne ob necessitatem quidem, aut Ecclesiæ utilitatem ad res alias convertantur.

p] *Clemēti. Quia contingit. de Relig. Domib. § 1. c. indicante. de Testamēt.*

q] *Conc. Tr. Ses. 25. de Refor. c. 4. & Ses. 22. de Refor. c. 6.*

Societatem illam Sacerdotum, quorum nomina in Tabella Sacristiæ hujus Nostræ Cathedralis affixa describuntur, quique pro mortuis Confratribus Sacrificium facere tenentur, Laudabiliter institutam fuisse cum intelligamus, non possumus quin summopere in Domino commendemus. Ut igitur tam utile institutum vigeat, Decreto hoc Nostro eam renovamus, & approbamus. Omnia autem, quę in ea praſcribuntur, omnino ut peragantur ejusdem Cathedralis Custodi committimus, ut pręter eandem Tabellam Librum habeat, quo Confratrum omnium nomina descripta sint, ut

ut cum

Digitized by Google

912

cum quis decesserit, fratres admoneat, ne quis muneri suo desit. De eorum vero Confratrum, qui extra Urbem sunt, siqui sunt, Parochi Custodem ipsum, quando decesserint, certiorem faciat.

CAPUT XXXI.

DE DECIMIS, & OBLATIONIBUS;

a] Psal. 23 v. 3.
b] ex Lev. 27. 32. Exod. 22. Num. 27. Malac. 3.
c] Ex D. Heyro. in Co. ad Malach. 3 ex D. Aug. Serm. 219. de tempo. vide in c. revertimini & seq. XVI. q. 1.
d] Deuter. 14. v. 23.
e] c. exp. 1. & c. Parochianos. & c. ex trāsmissa. & c. tua. de decimis. C. omnes decimæ. & c. decimas cū seq. XVI. q. 7. c. decimas ibi c. 1. de decimis in 6. & ali quam pl. Can. Clementin. 1. de deci. mis.

UNIVERSA terra, & plenitudo ejus Domini cum sit, (a) (b) pluribus Scripturæ locis ex omnibus Animantibus, & terræ frugibus decimas quæ sibi statis temporibus afferentur, imperavit: quod, (c) Sacrarum litterarum Sanctorumque Patrum testimonio, adeo illi semper cordi fuit, ut plures, gravissimasque pœnas negligentibus, & renuentibus sit minitatus. (d) Eas porro *in conspectu Domini Dei, in loco, quem elegerit, ut in illo nomen ejus invocetur*, consumari jussit, atque ita satis omnibus significavit illas ministris, qui in Tabernaculo fœderis ipsi serviunt, aliisque Ecclesiæ usibus inservire debere.

Quapropter tum Ecclesiasticos de bonis Patrimonialibus, seu Beneficiis, tum Laicos de consuetis, & Regulares, nisi aliquo privilegio eximantur, monemus, (e) ut Ecclesiæ Parochiali, cuius intra fines eorum prædia sunt, Decimas de more solvere non omittant. Qui vero id negligunt, (f) vel variis artibus eas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, vel ab aliis solvendas temere occupant, & in rem suam vertunt, nullo modo ferendi sunt, sed ex Patrum decretis Excommunicatione damnandi. Cum enim Decimarum solutio Deo debeatur, eas qui denegant, aut alios impediunt, quo minus solvant, in aliena irruunt, & tamquam malæ injustæque possessionis rei ab æterno Judice damnabuntur. Prompte igitur & alacriter id præstent, ne (g) mala ipsi patiantur, quæ renuentibus aliquando Populis evenere. Compositiones vero de futuris Decimis, ex obedientiæ lege ne fiant, sed illæ integre juxta consuetudinem ab iis quorum id est, omnino solvantur.

Jam vero cum præceptum Domini Sacerdotes habeant, (h) ut ab omni

Digitized by Google

ab omni homine oblata recipiant, eumque laudabile honestumque sit, *f*) ut Christiani omnes inter Missarum solemnia aliquid Deo offerant; in memoriam venientes, Deum per Moysem precepisse, *g*) ne quis vacuus appareret in conspectu suo; *h*) ad Missæ Offertorium pacem Populo deosculandam præbere, & oblatas a Fidelibus Eleemosynas accipere per Nos liceat. Veruntamen Parochos omnes in Domino monemus, ne hac in re dignitatis suę obliviscantur, neve sordidæ cupiditatis, & avaritiæ speciem aliquam præseferant, aut nimium pro Eleemosynis extorquendis instent; sed memores conditionis suæ æque humaniter omnes accipiant, & ad osculum pacis omnes admittant, qui nihil deferunt, ac qui aliquid offerunt.

Qua quidem in re si Mulieres præcesserint, Mares autem subsequentur, laudabile omnino erit: singuli autem ex ordine modeste, nullis Turbis excitatis, accedant; Masculi vero & Fæminæ ne unquam permisceantur: id ne fiat, caveant impense Parochi, quos in Domino ad id hortamur, & obsecramus. Sacerdos autem, oblationes qui colliget, *i*) in Missæ Sacrificio offerentium memor sit ut quod temporalis donat oblatio, Spiritualis rependat retributio.

Eleemosynæ, quæ intra Parochię fines erogabuntur, dummodo ad certos quosdam usus non fiant, *K*) ad Parochum ut pertineant, decernimus; quæ vero ad usum aliquem sunt determinatæ, ex erogantis mente animoque impendantur. Conventiones, Contractus, aut quæcumque pacta super eleemosynis colligendis, sub pęnis ad Nostrum arbitrium omnino interdicimus. *l*) Vota vero argentea, Gemmas, Cerea, aut quævis alia Ecclesiis oblata, etiamsi vetustate confecta fuerint, nulla de caussa, Nobis inconsultis, aut vendantur, aut alienentur.

f) *Conc.Trid Sess.* 25. *de Ref. c.* 12: *Conc:Matisc* 2.*c:*5: *Conc. Ticin: sub Leone* IV *versic:in Sacris*: *c: Decima*. XVI. *q:* 1: *& seq:*

g) *ex Malach.* 3:

h) *Exod*:2. *v.* 4.

i) *c: Omnis de consecr.D:* 2:

K) *c. Quia* X.*q*:2.

l) *c: Sanct. Patrum. & c seq. X.q:*2.

Digitized by Google

914

CAPUT XXXII.

DE LOCIS PIIS, & HOSPITALIBUS ECCLESIASTICIS;

a) *Conc.Tr. Sess.7.de Ref. c. 15.& Sess. 25.de Ref. c. 8.Const.Vienen.Clem.*V. *Quia contingit.quam habes in Clem. de Religio.domib.* § 1.
b] *ex Div. Greg.in Reg.*

VT piorum locorum, & in primis Hospitalium Ecclesiasticorum redditus, qui in Peregrinorum, Senium, Infirmorum, ac Pauperum bonum instituta sunt, recte administrentur, ea hoc loco mandamus, ut peragantur, quæ (*a*) a Sacra Tridentina Synodo, aliisque Canonicis Constitutionibus decreta fuere: neque enim ullum opus aliud ad Misericordiam magis facere videtur, quam hoc, quo &. esurientes nutriuntur, & Peregrini hospitio excipiuntur, (*b*) cum Christus ipse in pauperibus suscipiatur.

c] *Conc.Tr. Sess.25. l. cit. in fine. dict Clem. l.cit.in verb. Contumaces*

Ea itaque qui ministrat, munus sibi impositum, quam diligentissime peragat, & tanquam fidelis Paterfamilias, cuius benevolentiæ, ac Fidei Pauperes Christi filii commissi sunt, nihil omnino negligat, aut prætermittat, quod ad eorum commodum, ac utilitatem facere possit. Porro Jura locorum, & bona tueri, & siquę sint injuste alienata, aut amissa, ab occupantium manibus excutere studeant. Domus, & ædificia vitium si fecerint, aut diruta si fuerint, reparent: quæque a Fidelium pietate oblata sunt, ut ægeni paupertate leventur, ne disperdant, neve sua faciant; secumque reputent (*c*) censuras omnes, quibus Jura omnia in negligentes, & male administrantes, qui quidem male administrata, & parta restituere tenentur, animadvertant.

d] *ex Gen. 19. v.9.*
e] *ex Div. August. contra hæres.*

Quare hospitalitatem exerceant, fructusque ad id præscripti pauperum commodo, juxta Locorum proventuum, per ipsos inserviant. In mentem veniant, (*d*) quod sub umbra culminis Jesu peregrini ingrediuntur, ideoque quam maxime Lot exemplo tuendi sunt, & recipiendi. Caveant, ne indiscriminatim omnibus hospitium aut denegent, aut exhibeant, fieri enim potest, ut is, quem vel non recipiunt, vel male accipiunt, (*e*) ipse Deus sit, qui in Pauperibus peregrinetur: fructus tandem, qui in pauperes distribui

Digitized by Google

bui debent, in veros pauperes distribuantur, prout cuiusque inopia, eiusque voluntas qui bona reliquit, exegerit.

(f) In Hospitalibus, piisque locis ubi exercetur actualis & continua Pauperum receptatio, Mares cum Feminis ne diversentur; Fidei rudimenta Pueri cæterique edoceantur; semperque aliquis pietatis & Orationum pabulo Pauperum quoque Animas nutriant. (g) Hæc vero loca, sicuti & ea, quæ peregrinantibus tantum locum dant, Circulatoribus, Aleatoribus, Nebulonibus, aliisque id genus hominibus nunquam pateant.

(h) Loci pii titulo ea gaudeant, quæ erecta cum sunt caritatis officiis addicta fuere, nulloque vitio jure vetito laborent. Porro eorum bona Admininistratorum arbitrio ne locentur, sed in publicum proferantur, facta omnibus, exceptis iis, qui aliquid debent, aut ipsa ministrant, conducendi potestate. Is tamen, qui ejusmodi bona ducere voluerit, vadem det, ac fidejussorem idoneum, in quem jure agi possit æque, atque in ipsum Conductorem.

Porro (i) iis [ita enim & a Prædecessoribus Nostris fuit constitutum] nulla de caussa mutuum dare liceat, etiam si ipsæ Universitates mutuentur: Rectores vero, & Administratores secus si fecerint, Locorum piorum rem in integrum reddent. (K) Quotannis denique pia Loca, & Hospitalia qui administrant, de redditibus, de expensis, deque administratione, ex lege Sacri Tridentini Concilii, ut iis, ad quos pertinet, rationem reddant, compellantur.

Quoad Confraternitates vero, cum satis per Antecessorem Nostrum (l) provisum sit, nihil addentes, aut minuentes, omnia ejusdem rata decreta habemus, & confirmamus.

f] *Const.Sy. Cenet. editæ an. 1695. c. de Confr.& loc. pii. n.14.*

g] *ex Conc. Med. Prov. de pio loc. administ. § in hospitalibus.*

h] *Pius V constit. Regimini. 57. an. 3. dict. consti. Cen. cit. n. 12*

i] *Dict. constit. Cen. Syn. n. 13.*

K] *Concil. Trid. Ses. 22. de Ref. c. 9.*

l] *Const. Sy. Cen: de Cōfr.*

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

DE USURIS;

quoad Forum internum;

a) *c. Super eo. de Usuris*
b) *Deuter. 23. v. 19. Levit. 25. v. 27. Eccl. 18 v. 8. Luc. 6. v. 6. et 34: v. 35.*
c) *tot. tit. de Usuris. vide per tot. caus. XIV. et passim per seq. Clem. uni. de Usuris:*
d] *Vide in C. Justinia. per totum tit de Usuris. et in Auth. eod. tit:*
e] *Aristotel. 1. Politi. c. 7.*
f] *ex Divo Grysost. sup: Matth. ho. 38*

CUM Usurarum crimen (*a*) utriusque Testamenti paginæ detestentur, & non tam (*b*) Divino, (*c*) Ecclesiastico, (*d*) & Civili jure, verum etiam (*e*) Natura ipsa modus hic per fœnus acquirendi damnetur, fit hinc, ut ab hac Diœcesi Nostra, [si, quod minime suspicamur, in ea fortasse serperet] omnino tollere studeamus. Jam vero de re hac verba facere adeo necessarium, & utile est, ut in nulla re magis, quam in hac Confessorum mentes laborent, & pœnitentium animi agitentur: dum enim negotiationes multæ fiunt, atque ex eis lucra quæruntur, plures sæpe Usurarii Contractus fieri possunt, qui non modo criminosi sint, verum etiam variis pœnis & Censuris obnoxii. (*g*) Usurarius equidem super omnes Peccatores maledictus est, & contra ipsum omnia Jura clamant Divina, & humana. Quod in hac Diœcesi Nostra ne unquam accidat, constitutionibus, quas infra scripturi sumus, omnium Conscientiis cavendum esse putamus.

(g) Quidqu d igitur ex mutuo temporali, pretioque æstimabile per pactum lucri caussa ad sortem, seu debitum accedit, a Sacris legibus Usura dicitur; ac proinde admonemus, ne aliquid ex mutuo, vel ex depositis, præter sortem, ex pacto a nullo percipiatur, vel speretur, etiamsi pecuniæ ipsæ sint Pupillorum, aut Viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi id jure nominatim permittatur. (*h*) Date mutuum nihil inde sperantes, dicit Dominus in Evangelio, ***nam si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.*** Porro (*i*) Jure ipso

Digitized by Google

ipso Divino cavetur nequis pecuniam det ad usuram ; & frugum superabundantiam ne exigat, (*K*) qui enim ad usuram non comodaverit, & amplius non aceperit, hic, justus erit, vita vivet, (*l*) & habitabit in Tabernaculo Domini.

Quod autem pertinet ad Montes, pietatis quos dicunt, eo quod (*m*) *isti Montes pro eorum impensis & idemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conservationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra sortem absque lucro eorumdem Montium recipitur*, eos excipimus ab hac lege: Eorum siquidem institutio non modo a Summis Pontificibus semper probata fuit, (*n*) verum etiam institutores, & coadjuvantes Ecclesiasticis thesauris & Indulgentiis donati: jam vero inter pia Loca (o) ab ipsamet Sacrosancta Tridentina Synodo passim enumerantur.

Ceterum ad census, seu annuos redditus, Livella quæ dicunt, quod attinet, tam in eorum constitutione, & in rebus, circa quas possunt constitui, quam circa pacta, conventiones, augmenta, solutiones, & quæcumque ad ea spectantia, quoad forum internum, de quo tantum Nostrum est intelligere, quidquid in Pii V. Pont: Max: (*p*) Constitutione continetur, omnibus ob oculos ponimus & memoramus. (*q*) Quod & de Cambiis, deque conventionibus, pactis aut contractibus quibuscumque ad illa pertinentibus intelligimus.

Hortamur insuper & admonemus, ut siquis Mercator cum Operariis ita contrahat in hac Diœcesi, ut pactam solutionem partim pecunia det, partim vero rebus quibuscumque, in actualis contractus signatione res ipsa quam pro solutionis portione dare intelligit, exprimatur, & illius pretium, quod immutari non possit, statuatur. (*r*) Id ni fiat, nunquam res ipsa pluris, quam valeat possit æstimari, sed juxta ejus mediocre pretium, idest juxta illud quod Mercatores ipsi exigerent, si rem eandem numerata pecunia venderent, Operariis illam solvant. Nunquam porro Operarios ipsos compellant Mercatores ad res quascumque, etiam comestibiles accipiendas pro solutione illius portionis, quam pecunia solvere contraxerunt; sed ipsam pactam pecuniam omnino solvere teneantur: Huic constitutioni qui non paruerit à Confessariis tanquam Usurarius habeatur.

Porro circa Contractus Emptionis, & venditionis caute videant Confessarii, (*s*) ne iniusta intersint pretia; neve ob dilatam solutionem carius, quam decet, venditiones, vel ob anticipatam minoris justo pretio emptiones fiant. Videant, ne

res

g] *c. si fœneretis. & c. putant. & c. plerique. & c. seq.* XIV. *q.3. c. consuluit. & c. ult. de Usuris.*

h) *Luc. 6. v. 34.*

i) *Levit. lo. cit. & v. 37. Deut. loc. cit. v. 30.*

K) *Eccl. 18 v. 8.*

l) *ex Psal. 14. v. 6.*

m) *Leo* X. *in Conc. Lat. Sess. 10. c. 1.*

n) *dic. Leo* X. *loc. cit. in fine.*

o) *Concil. Trid. Sess. 22. de Ref. c. 8. 9. & 11.*

p] *Pius* V. *Constit. cum onus ā. 1568. Constit. etsi Apostolica. 1570. 10. Jan.*

q) *Const. In eam. ann. 1571. 7. Feb.*

Digitized by Google

91Ɣ

res quæcumque vendantur ita dilata in tempus solutione, ut pretium, quod interim rei accreverit, venditori solvatur, nisi si ejusdem periculo fiat diminutio: (t) Ne fructus, vinum, aliudve detur, ut eo, quod datum est, aliquid amplius exigatur, sive ejusdem generis, sive alterius, quomodocumque etiam si operę sint.

Contractus demum omnes, qui usuram sapiunt, caute & perdiligenter a gravioribus Auctoribus, & a Sacris Canonibus edifcant, ut quam præsentissima Animabus remedia adhibere possint. Præcipue vero in Contractibus, Societatis Animalium quos dicunt, caute & attente videant, an vere & realiter intersit periculum, quod lucro respondeat, quod & in aliis societatibus, aut contractibus tum messium, tum aliarum quarumcumque rerum dignoscere studeant.

Si quem autem in aliquo ex dictis casibus, aut aliis jure vetitis contraxisse cognoverint, non modo irritos Contractus judicent Confessarii, quoad eorum Tribunal, verum & ad restitutionem, qui contraxerint, compellant, & pænis (u) a Sacris Constitutionibus statutis deterreant. Quod equidem & de Tabellionibus, & Notariis, qui ejusmodi instrumenta conscribant, de Lucri participibus, & de Ministris horum scelerum omnibus Jura intelligunt.

Porro Parochi Confessarios omnes sibi subditos continuo excitent, & admoneant, ut quam maxima diligentia in hac re sano omnium difficillima utantur. Videant, an omnia ad id pertinentia calleant, & rudes, Nos cum monuerint, a Ministerio arceantur. Illos vero in primis moneant, ut pęnitentibus instruendis semper vulgarem illam regulam ob oculos ponant: *Inter contrahentes servetur æqualitas*; (x) *nihil enim*, ait Cicero, *potest esse æquabile, quod non a certa ratione proficiscatur*. Dilectos insuper Filios suos in Domino hortentur, ut quemadmodum in quovis periculo corporalis salutis quam maxime se reddunt solicitos in seligendis securis peritorum Medicorum consiliis, ita (q) ne decipiant Animas suas, sed solertes & cautos se exhibeant, dum agatur de aliquo contractu dubio, & super eo prius peritos consulant viros, ut securitati similiter Spiritualis salutis provideant. In primis autem illos suadeant, ne illicita lucra sectantes seipsos & Animam perdant. (z) *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, Animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

r] ex Conc. Prov. Med. de Usuris. § 10.
s] c. In Civitate. & c. consuluit. § & an. & c. Negotianti. de Usuris.
t] c. Usura est. XIV. q. 2.
u] c. Cum tua & c. præterea. & cap. quam perniciosum. & c. In omnibus. & c. cõsuluit & c. in Civitate de Usuris. c. Ministri. & c. nec hoc. & c. si quis. XIV. q. 2. Clem. unic. de Usuris.
x] Cicer. 2. Tusc.
y] Hierem. 37. v. 8.
z] Matth. 16. v. 26.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

DE

MENDICANTIBUS.

VERE (a) *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei* Deus, qui parva quidem per pauperem cum acceperit, maxima pro ipso retribuet. (b) Fœcundus itaque Pauperum ager, qui cito reddit donantibus fructum, permaxime colendus est, paupertasque ipsa permaxime veneranda, quam ipse Filius Dei cum concupisceret, (c) descendit de Cœlis, ut eam eligeret sibi, & Nobis sua æstimatione pretiosam faceret. Veruntamen dolosa, fallaxque paupertas, quę malis artibus, simulataque indigentia veram Christi paupertatem fraudat, callideque Fideles decipit, omnino despicienda est. Quid enim (d) *Fermentum* hoc *Pharisæorum* (e) attendit ad Portam Templi, cum nullo morbo, cui remedium adhibeatur, laboret? Discedant potius, intelligantque, quod *nil opertum, quod non revelabitur, neque absconditum, quod non scietur.*

a] *Prover.* 19. *v.* 17.
b] *ex Divo Aug. de ver. Domi.*
c] *ex Divo Bern. ferm.* 1. *in vigi. Nat. Domi.*
d] *Luc.* 12. *v.* 2.
e] *ex Act. Apost.* 3.

Porro Nos genus hoc teterrimi mali avertere desiderantes, (f) Sacrorumque Canonum, & Prædecessorum Nostrorum decreta sectantes, præcipimus & mandamus, ne inposterum Mendicus ullus alienigena Eleemosynas quærens, qui facultatem per scriptum a Nobis non habeat, in Urbe hac recipiatur. Si quis autem adeo temerarius fuerit, ut, ea non impetrata, quæstuari præsumat, a Parochis, & a Fidelibus omnino reiiciatur, & arceatur.

f] *c. Cum ex eo de Pœn. & remis. Clementin. Abusionibus de Pœnit. & remiss. Const. Syn. Cen. hoc tit. n.* 1.

In Ecclesiis vero, Sacrum dum fit, aut res Divinæ dum peraguntur, Mendicantibus (g) stipem petere ne permittatur: ita enim Divina interturbant, & orantibus Fidelibus impedimento sunt; sed ad postes earum stare cogantur. In hac Cathedrali ad Campanarium, in aliis ad inferiores Officiales, illos omnimodo expellere pertinebit: in negligentes animadvertatur:

g] *Pius* V *Const. cum primũ.* 566.

Collectoribus Eleemosynarum usum publicandi Indulgentias, Campanulas pulsandi, Animalia benedicendi, aliaque id genus faciendi

920

ciendi omnino interdicimus. (*b*) Regularibus vero, qui intra Diœceſim Noſtram domum aut Conventum non habent, abſque neceſſariis licentiis, quæſtuari ne liceat. Eleemoſynas tandem tanquam uſu, vel alia de cauſſa debitas, qui quæſtuantur, per fucum inſolenter ne expoſcant.

b] *Conſtit. Cen.Syn. cit. hoc tit.nu.2. in verb.Prohibemus.*

CAPUT XXXV.

DE

JUDICIBUS SYNODALIBUS.

QUOS ex Sacri Concilii Tridentini (*a*) decretis Synodus hæc Noſtra Judices Synodales ad cauſſas a Summo Pontifice, & a Legatis, ſive Nunciis in partibus delegandas, audiendas, & definiendas, pro hac Noſtra Diœceſi elegerit, in Domino hortamur, ut officii, munerisque ſatagant; eas quamcitiſſime expediant, ac Litigantium artibus, ſeu in Litis conteſtatione, ſeu in alia parte Judicii deferenda modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurant. In mentem veniant, (*b*) Stateram doloſam abominationem eſſe apud Deum, & pondus æquum voluntatem ejus:

Si quem vero ex deſignatis mori contigerit, Nos cum Conſilio Capituli alium idoneum in Defuncti locum, uſque ad futuram Synodum, ſubſtituemus.

a] *Concil. Trid.Seſ.25. c.* 10. *Conſt.Bonifac.* VIII. *Statutum.*

b] *ex Pro verb.11.v.1*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

DE CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS.

TANDEM, Filii dilectissimi, Supremo adjuvante Legislatore, per Spiritum Sanctum, qui Nobis affulsit, Synodales Nostras Constitutiones absolvimus. (a) Ecce porro dedi verba mea in ore vestro, (b) & hæc ea sunt, quæ jussit Dominus adimpleri. (c) Ne obliviscamini igitur Legis meæ, quæ Lex Dei est, sed pedes vestros in ejus compedes, quæ erunt vobis in protectionem fortitudinis, iniicientes (d) *omne mandatum*, quod ego præcepi vobis, cavete, & diligenter facite, *ut possitis vivere*, ingressique terram illam possideatis, quam Dominus Redemptor noster Sanguine nobis paravit. Faxit ipse, faxitque Sancti Spiritus gratia quæ Nos ad hunc usque locum perduxit, ut quod Paterna Nostra Caritas vobis demonstravit, Filialis obedientia vestra Nobis rependat: (e) Dominus Deus, qui *fortis est & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta ejus*, in Cœlestibus benedictionibus nos aliquando recipiet.

a] *Jerem.* 1 *v.* 10.
b] *Deut.* 6. *v.* 2.
c] *Prov.* 3. *v.* 1.
d] *Deut.* 8. 2.
e] *Deut.* 7. *v.* 9.

Intelligant porro omnes & singuli Nobis subjecti ea, quæ præsenti Synodo (f) ex Patrum mente, ad mores temperandos, errores tollendos, controversias componendas, aliaque ex Sacris Canonibus constituenda decrevimus, esse ab omnibus exequenda. Quare ne cui quavis de caussa aut negligere, aut contemnere liceat, omnia ejusdem decreta hoc loco complectentes, ea denuo Parochis omnibus, Curatis, Beneficiatis, Sacerdotibus, Clericisque, nemine excepto, sub pœnis in eorum singulis jam descriptis, præcipimus & mandamus.

f] *Conc. Tr. Sess.* 24. *de Ref. c.* 2. & *Sess.* 25. *de Ref. c.* 2. *Conc. Tolet. sub Sist.* IV. *c.* 1. *Concil. Basil. Sess.* 15.

Ne vero quis ab eorum executione sub ignoramtiæ specie possit excusari, præcipimus insuper, ut in lucem editas hasce Constitutiones cum intellexerint, intra mensem ea sibi comparent, decretaque omnia non modo præ manibus habeant, & sæpe perlegant, verum etiam quanta fieri maxime possit diligentia, & pietate ut servanda sibi suisque, proponant. Si quæ in eisdem difficultas oriatur, tum ejusdem difficultatis, tum omnium, quæ in ipsis decretis tradita sunt, interpretationem & expli-

Digitized by Google

cationem Nobis reſervamus; omnibus interim præcipiendo, ne quidquam præter communem decretorum ſenſum interpretari, & explicare præſumant.

Sciant porro Clerici omnes ad Ordines promovendi, & Sacerdotes ad quamcumque Curam Animarum exercendam, vel ad Confeſſiones audiendas admitti cupientes, ſe peculiare examen de Synodalium Conſtitutionum ſcientia inpoſterum eſſe ſubituros; de quibus niſi rectam rationem reddant, nullo modo admittentur.

Omnia & ſingula, quę in hac Synodo Diœceſana Noſtra decretà, actaque ſunt, qua debemus obedientia, & reverentia auctoritati, & Judicio Sanctę Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicę, omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ ſubiicimus. Tandem: (g) Deo Optimo Maximo, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, gloriam & laudem in ſæcula: Vobis autem, Filii dilectiſſimi, ſalutem in Domino ſempiternam, & Noſtram Paſtoralem Benedictionem.

(g) *ad Rom.* 11. v. 36.

F I N I S.

Digitized by Google

Decretum pro confectione Oleorum Sanctorum.

IN Feria quinta majoris Hebdomadæ, dum quotannis a Nobis Oleorum Sanctorum habetur Consecratio, inherendo piæ, ac vetustæ huius Ecclesiæ Nostræ consuetudini, ac Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, præcipimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus admodum R.R. Parochis, ac Locorum infra descriptorum Sacerdotibus; quatenus mane diei prædictæ in numero, & modo infra designandis singuli per se, vel per alios interesse debeant, propriis indumentis instructi, ad munus eisdem impositum ministrandum in hac Nostra Cathedrali, sub pœna Suspensionis a Divinis per integrum mensem ab unoquoque inobbedienti ipso facto incurrenda, a qua deinde noverint se non fore absolutos, nisi libras duas currentis monetæ Custodi huius Sacristiæ erogaverint, pro mercede debita ei, qui vices absentis occasione huiusmodi egerit.

Coneglani:
Sacerdotes duos
Diaconos duos
Subdiaconos duos
Serravalli.
Sacerdotes duos
Diaconos duos
Subdiaconos duos
Tartii.
Sacerdotem unu
Corbanesii.
Sacerdotem u
Laureti.
Subdiaconum [illegible]
Formenicæ.
Sacerdotem unum
Oleani.
Sacerdotem unum

Plebis de Colle:
Diaconum unum
Sancti Martini de Colle.
Diaconum unum
Capellæ.
Sacerdotem unum
Anzani
Sacerdotem unum
Montanarii.
Diaconum unum
Fregonæ.
Sacerdotem unum
Usici.
Subdiaconum unum
Revinarum.
Sacerdotem unum
Lacus.
Subdiaconum unum

Digitized by Google

724

Dies quibus Illustriss. ac Reverendiss. Episcopus Ecclesiæ Cathedrali intervenit.

CUM pro dierum solemnitate modo ipse Illustrissimus, ac Reverendissimus Episcopus Pontificalia exercens rem Divinam faciat, modo Canonicis, vel Curatis Sacrumfacientibus adsit duntaxat; non omnino absonum ducimus hoc etiam addere, ut nimirum cum Clerus, tum Populus ad majorem Dei Optimi Maximi cultum frequentiores intersint.

Primo igitur die Nativitatis D. N. J. C. Celebrat.
Duobus sequentibus Assistit.
Primo Pascharis Celebrat.
Reliquis duobus Assistit.
Primo Pentecostes celebrat.
Reliquis Assistit.
Primo Diœcesis Synodi Celebrat.
Sequentibus duobus Assistit.
Festo S. Titiani Urbis & Diœceseos Patroni Celebrat.
Feria quinta in Cœna Domini Celebrat, & Olea Sacra conficit.
Festo Assumptionis B. M. V. Titularis Cathedralis Ecclesiæ Celebrat.
Die anniversario Consecrationis Episcopi pro tempore existentis Celebrat.
Circumcisionis die Assistit.
Epiphaniæ Domini Assistit.
Ascensionis Domini Assistit.
S. S. Apostolorum Petri & Pauli Assistit.
Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ Assistit.
Translationis S. Titiani Assistit.
Omnium Sanctorum Assistit.
Feria quarta Cinerum Assistit.
Celebrat autem omnibus diebus cujuscumque Solemnitatis occasione publicæ vel Lætitiæ, vel Calamitatis.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
AD
ACTA SYNODALIA;

Ut facilius in Foro Interno Quilibet dirigatur.

Digitized by Google

326

Digitized by Google

CASUS RESERVATI

DIOECESIS CENETENSIS.

1 BLASPHEMIA tam hæreticalis, quam simplex consuetudinaria, aut publica.

2 Occultatio piorum Legatorum, si fuerit dolosa: Item occultatio, sive usurpatio, seu retentio dolosa Rerum, Bonorum, aut Scripturarum spectantium ad Ecclesias, vel Beneficia Ecclesiastica, seu ad jus Episcopale.

3 Confessarius, qui habuit Copulam, vel actum mollitiei consummatum cum Pœnitente, quam etiamsi semel Sacramentaliter absolverit, nec eam absolvere, nec ipse ab aliquo absolvi possit.

4 Magia, Divinatio, aut Sortilegium, & quæcumq. alia superstitio, tam cum abusu, quam sine abusu Sacramentorũ, vel Sacramentalium, vel Orationum, multoq; magis cum Dęmonis invocatione.

5 Perjurium judiciale.

6 Bestialitas, & Copula contra naturam etiam cum Fœminis, & signanter cum propria Uxore, si actus in quocumque casu fuerit consummatus; reservatur quoad Mares tantum.

7 Parricidium, ~~& Parentum injuriosa verberatio~~, licet sit levis.

8 Incestus in primo, & secundo Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu, & Copula, cum Cognata cognatione Legali, vel Spirituali, pariter quo ad Mares tantum.

9 Homicidiũ voluntariũ, & abortus fœtus animati, Mandatum, Consiliũ, seu auxiliũ efficax ad illud, reservatur quatenus sequatur effectus.

10 Copula inter Sponsos ante contractum Matrimonium per verba de pręsenti, quo ad Mares tantum.

11 Exorcisantes; nec non Signantes ob Maleficia, seu suspicione, aut assertione maleficiorum, absque Nostra expressa licentia: Item Signantes, sine Potestate, seu Jurisdictione, vel modis illicitis.

12 Cedularum, seu Libellorum publica expositio, in quibus fama detrahitur, etiam quoad Mandantes, & Consultores, Auxiliatores, seu quovis modo Complices.

13 Quælibet Sollicitatio sive antea, sive post Confessionem, vel occasione, aut quovis pretextu Confessionis.

In facultate generali absolvendi a Reservatis, etiam Vicariis Foraneis concessa non comprehenduntur Libelli famosi, quo ad Auctores, & Mandantes; Parricidium, & quodcumque homicidium voluntarium; Incestus in primo gradu, & quidquid continetur in 4. 11. & 13.

CASUS

Digitized by Google

ζ8

24

Casus in Bulla Cœnæ Domini reservati.

1 HÆretici cuiuscunque sectæ, eorumdem fautores, libros legentes, vel imprimentes, & Schismatici.
2 Appellantes a Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.
3 Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.
4 Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in litoribus inventa surripientes.
5 Imponentes nova Pedagia, & Gabellas, vel eas augentes.
6 Falsificantes Litteras Apostolicas, aut falso fabricantes.
7 Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; & ad Reipublicę Christianę statum pertinentia ijsdem in damnum Christianorum nunciantes.
8 Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.
9 Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab eas recedentes, sua aut aliorum opera lædentes, & sine iurisdictione vexantes in Curia commorantes.
10 Lædentes Romipetas, & Peregrinos, etiam in Urbe morantes, vel abeuntes.
11 Offendentes S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos.
12 Lædentes per se, vel per alios, qui ad Romanam Curiam pro negotio recurrunt.
13 Appellantes a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, ad Laicam potestatem.
14 Executionem Litterarum Apostolicarum, & aliarum expeditionum impedientes.
15 Judices Sęculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.
16 Impedientes Prælatos, ne sua Jurisdictione utantur, quique illorum, & Delegatorum judicia eludentes ad sæcularem Curiam recurunt, aut contra illos aliquid decernunt, auxiliumque præstantes.
17 Usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum jurisdictionem, vel etiam fructus sequestrantes.
18 Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructbius.
19 Judices Sęculares, qui se interponunt in Causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.
20 Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius Jurisdictionem usurpantes.

DECLA-

Digitized by Google

DECLARATIO

S. Congregationis Concilij Tridentini a S.D.N. Clemente P.P.IX. approbata super accessu Regularium ad Monasteria Monialium.

DIE 12. Maji 1669. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R. E.Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares, absque licentia Crates Monasteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent. pretendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horę cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliasque Personas intra Clausuram existentes alloqui & hanc opinionem tamquam tutam affirment, disseminent, & forsan etiam scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias scandala confoventes, ad huiusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans reijciens, ac damnans, declaravit; Regulares cujuscumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate, accedunt, colloquendo, etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus peccare mortaliter, eosque sub Excommunicationis, privationis vocis activę, & passivæ, aliisque contra Regulares, accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium, statutis pęnis, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicę Delegato coerceri.

Et die septima Junij eiusdem Anni facta relatione S.D.N. Sanctitas sua præsentem Declarationem approbavit ac typis dari servarique jussit,

(A Card. Celsus Pręfectus.

Loco ✠ Sigilli

S. Brancaccius Archiep. Andrianopoli Secr.

Bulla Fel. Record. S. D. N. D. GREGORII PAPÆ XV.

Contra Sacerdotes in Confessionibus Sacramentalibus Pœnitentes ad turpia Sollicitantes.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiversi Dominici gregis curam, quamquam immeriti cœlesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuerit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentię Sacramento, sollicitando pænitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum; pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti Medico, infernalis Veneficus, ex parte spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur; idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis Diabolis insidiis arcendis, certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus. Alias siquidem a felic. record. Pio Papa IV. Prædecessore Nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis videlicet.

Pius Papa IV. Venerabili fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, non sine animi nostri molestia accepimus; diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Dięcesibus curam Animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis Confessionibus pęnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pænitentiæ in actu audiendi Confessiones, abutantur, nec illi, qui id instituit, Domino Deo, & Salvatori Nostro Jesu Christo injuriam facere vereantur, Mulieres videlicet, pænitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, & provocando, seu

allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori Nostro reconciliationis, graviori peccatorũ mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in divinæ Majestatis offensam, & Animarum perniciem Christifidelium Scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica recte sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant; fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per aliũ, seu alios a te deputandum, seu deputandos, cõtra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos tam Saeculares; quam quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostol. immediate subiectorum Ordinum Regulares cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quam super fide Catholica, & quidquid de ea sentiant, diligenter inquiras & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias eos etiamsi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, Sæcularis Judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus: & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisq; contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri Anno secundo.

Igitur ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de cõsilio Venerabilium Fratrũ nostrorum S.R.E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas litteras huiusmodi, ac omnia, & singula in eis cõtenta: Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisq; omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, illasque non solum in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus, ac præterea ne in futurum de pęna his delinquen-

torum Ordinarijs prædictis, quod si hoc officium pretermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Cōfessarios Sollicitantes, seu tractantes: ut supra, ijdem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici conscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus Fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensę, quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen., ac Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixę omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30 Augusti 1622. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Sanctiss. D. N. Cle. Divina Providentia P. P. X.

CONSTITUTIO;

In qua Regularium Privilegia quoad prędicationem Verbi Dei, & Sacram. Pœnitentiæ adminstrationem declarantur.

CLEMENS

EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI;

Ad perpetuam rei memoriam:

SUperna magni Patrisfamilias præordinatione creditū Nobis universalis Ecclesiæ mysticum agrum circūspecta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) Satagentes, animum in eas Curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter Villicos, & Operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi; Ut quibus una fides, una Mater Ecclesia, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes; fiat etiam cor unum atque Anima una; Sic etenim evulsis opportune Zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus, quo benedicente messis multa, fructu centesimo cęleste inorreum congregabitur.

Sane cum Sacris Concilii Tridentini Decretis provide statutum fuerit, ut Regulares cuiuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint; cum

qu-

Digitized by Google

qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; in Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint: atque, ut nullus Sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinū, contradicente Episcopo præsumat. Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis possit Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem eiusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, dissensiones permultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam religiosis ordinibus concessa fuerunt.

Nos attendentes, quod alias diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversię nonnullis Prædecessorum Nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, eorumque Declarationibus definitæ fuerint, eiusmodi definitiones, in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina & inposterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur Apostolatus Officio novis Apostolicis litteris muniendas duximus, & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prelatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione Nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuo valitura constitutione decernimus, ac declaramus.

Regulares, qui in Ecclesiis suis Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedū non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; eosque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris, aliisque pęnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis Fel. Record. Gregorii XV. Prædecessori Nostri incipientis, inscrutabili Dei providentia coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, & rationabili caussa contradicere non debere; Et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis Sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum

rum

Digitized by Google

rum, licet clauſis januis, & nullus Sęcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut Magiſtratibus Laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent. Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones Sęcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione, audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad Perſonarum Sęcularium Confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; Atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minime poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum Confeſſiones audire; ſed toties Ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Ceterum in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur poſſe tam Prælatos Regulares, quam Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui Commenſſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt; Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtincte abſq; aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad ceteros vero qui non adeo idonei reperiantur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere: Semel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque, etiam Infirmorum Confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem Infirmorum Parochum illico certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis a facultate audiēdi Con-

feſſio-

Digitized by Google

fessiones præcipi. Sufficere tamen ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit omnis utriusque sexus, quoad Confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares vero ad eiusmodi Confessiones audiendas, prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocare, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur a Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse, volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; Utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares a Semetipso approbatos suspendere, aut repellere a Confessionibus audiendis. Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus admitti ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu concessis, factam eis non esse facultatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinēda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquā licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere pœnitentes a censuris quoad externum, & judiciale forum: & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimò

Digitized by Google

mo Censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo ab eo judicetur, ipsa non suffragari casui, de quo agitur: si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, & ambigua; non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cuius est condere dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout alias cõstitutione Prædecessoris Nostri Fel.Recordat. Clementis IV. statutum fuit esse requirendam.

Decernentes sic, & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanct. Rom. Eccles. Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quosvis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & innane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque quorumvis Ordinum tam Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum etiam Jesu, ac cuiusvis alterius Instituti etiam necessario, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, necnon illorum etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex caussa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis; Conservatorum deputionibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hjusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil pœnitus

Digitized by Google

omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis, quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterorum quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, ut ea tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes, quod earumdem præsentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum Decreti declarationis, Derogationis, Mandati, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum &c.

Dat. Romæ apud Sanct. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1670. 11. Kal. Julij, Pontificatus Nostri Anno primo.

G. Dat.

Visa de Curia P. Ciampinus I. G. Slusius D. Ciampinus.

S.D.N. PII PAPÆ V.

Constitutio, Super forma creandi Census.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM onus Apostolicæ servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites, a Nostris antecessoribus, eisdem contractibus statutos, verum etiam, quod deterius est contrariis omnino pactionibus propter ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam Divinarum manifestum cōtemptum præ se ferunt, non potuimus animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, letiferoque veneno salutari antidoto non mederi. Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit, rursum nisi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario, & in actu celebrationis

tionis

tionis instrumenti, non autem prius recepto integro, justoque pretio. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conventiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non teneatur nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatē alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper & libere, ac sine solutione laudemij, seu quinquagesime, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones quibus vendenda sit; & per mensem expectari. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, sive aliquam eius partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitam perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. Imo, & censum augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus, Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure, & ex natura contractus non spectarent. Postremo census omnes in futurum creandos non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui: non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imo centum, & plurium annorum pręscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumq; verbis, aut clausulis cōncepta sint. Cum vero traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque reditum extingui posse, prævia tamen semper denuntiata de qua supra, & non obstantibus his de quibus supra, idque observari mandamus etiam quod pluries ac pluries, denunciatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum, ab invito aut ob pœnam aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus Contractusq; sub alia forma posthac celebrandos fęneratitios judicamus, & ita illis propterea non obstantibus, quicquid vel expresse, vel tacite contra hæc Nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a Fisco volumus posse vendicari. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post

Digitized by Google

publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus servari volumus. Declarantes pretium semel censui constitutum nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad ultimo contrahentes minui, vel augeri. Et licet legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ bonorum Religiosorum subijciant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, necnon privilegiis, & litteris etiam per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatorijs, nec non irritantibus decretis, ex quavis caussa, etiam per modum legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum, & locorum concessis approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte præsenti nostræ constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes in Cancellaria, & Acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extravagantes, perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicujus Prelati munitis, eadem prorsus fides, ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, judicij, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milesimo quingentesimo sexagesimo octavo, 14. Kal. Februar. Pontif. Nostri anno IV.

Ce. Glorierius.

H. Cumyn.

PROPO-

PROPOSITIONES DAMNATÆ
de Mandato
S.D.N. ALEXANDRI PAPÆ VII.

Die 24. Septembris 1665. & 18. Martii 1668.

1 HOMO nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei,& charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminũ, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini,in qua de occultis criminibus ſermo eſt Anno 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio S. Congreg. Eminentiſs. Card. viſa, & tollerata eſt.

4 Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientię abſolvere quoſcumq; Sęculares ab hęreſi occulta,& ab excõmunicatione propter eam incurſa.

5 Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hęreticum,non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6 Confeſſarius qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pęnitenti chartam, poſtea legendam in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7 Modus evadendi obligationem denũciandæ ſollicitationis eſt: Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt illum abſolvere abſque onere denunciandi.

8 Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſemet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9 Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſę celebrandæ traduntur per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

10 Non eſt contra Juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipedium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque enim eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione,etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitę, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12 Mendicantes poſſunt abſolvere a Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13 Satis-

Digitized by Google

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14 Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium Simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso; vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum Accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia vita non potest innocens, damnum evitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in Adulterio deprehensam.

20 Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in consciẽtia ante Sententiã declaratoriam Judicis, eo quod sit pęna.

21 Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22 Non est contra Justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens Jeiunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto.

24 Mollities. Sodomia, Bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimę, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si liber sit alicuius Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis dum nõ constet rejectã esse a Sede Apostolica tanquã improbabilẽ.

28 Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

29 In

29 In die Jeiunij, quis sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit non frangit Jeiunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione Jeiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis eum jeiunio.

31 Excusantur absolute a præcepto Jeiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32 Non esse evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & laticinia in quadragesima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.

35 Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum ~~peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium~~, non præceptum.

39 Illa particula (quamprimum) intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quę dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus Concubinarius ad eijciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii (vulgo Regalo,) dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ æpulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42 Licitum est Mutuanti aliquid ultra Sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plusquam per decem annos.

44 Quoad forum Conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

INNO-

Digitized by Google

De Mandato
S.D.N. INNOCENTIJ PAPÆ XI.

Die 2. Martij 1679.

1 NON est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3 Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5 An peccet mortaliter, qui actum dilectioni Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8 Comedere, & bibere usque ad satietatem ad solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis sui actibus frui.

9 Opus Coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15 Lici-

Digitized by Google

15 Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16 Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17 Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18 Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe, non damno.

19 Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20 Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernatuturalem.

21 Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imò cum formidine, quaquis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22 Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

24 Vocare Deum in Teſtem mendacij levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25 Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26 Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

27 Cauſſa juſta utendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis eſt cauſſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30 Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum,

Digitized by Google

si quis impingat alapam ; vel fuste percutiat, & post impactam alapam ; vel ictum fustis fugiat.

31 Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32 Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33 Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra iniuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur se taliter defendere, sicut, & ius habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem iniuste impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fętus ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile omnem fętum, quamdiu in utero est, carere Anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36 Permissum est furari; non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37 Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad cõpensandã operam suã, quam majoré iudicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pęna peccati mortalis restituere quod oblatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum, tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40 Contractus Mohatra (vulgo Stocco) licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie initto, cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia prætiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42 Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

43 Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44 Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46 Et

46 Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: Imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47 Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto Comparativo, pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: Vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malum, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49 Mollities jure naturæ prohibita non est; Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum coniugata, consentiente Marito, non est Adulterium; Adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne Domo expellatur.

52 Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Cōmunionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini Communionem.

56 Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est sufficere Attritionem naturalem modo honestam.

58 Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59 Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum Confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis V.g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

 61 Potest

948

61 Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; Quinimo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62 Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63 Licitum eſt quęrere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64 Abſolutionis capax eſt homo, quamtumvis laboret ignorantia Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

65 Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe.

De Mandato ALEXANDRI PAPÆ VIII.

Die 7. Decembris 1690.

1 IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis:

2 Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat a peccato formali.

3 Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4 Dedit ſemeptipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5 Pagani, Judęi, Heretici, alijque hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6 Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere, a gratia ſufficienti *Libera nos Domine*.

7 Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8 Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu,

10 Inten-

10 Intentio qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11 Omne quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13 Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14 Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennæ, & pęnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16 Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio natura rei id ipſum quodammodo dictante.

17 Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18 Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19 Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20 Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21 Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pęnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22 Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pęnitentiam egerint.

23 Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24 Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. V. M. in die Purificationis ſuę per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit Purificatione, & quod Filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

25 Dei Patris Sedentis Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26 Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana eſt.

27 Valuit

Digitized by Google

27 Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *In nomine Patris &c.* prætermiſſis illis, *Ego te Baptizo*.

28 Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, *Non intendo facere, quod Eccleſia facit*.

29 Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quęſtionibus decernendis infallibilitate.

30 Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31 Bulla Urbani VIII. *In eminenti* eſt ſubreptitia.

De Mandato

S.D.N. INNOCENTIJ PAPÆ XII.

Die 12. Martij 1699.

1 DAtur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2 In ſtatu Vitæ contemplativę, ſeu unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei.

3 Id quod eſt eſſentiale in directione Animæ eſt, non aliud facere, quã ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire Cor huic Verbo, quod adeo durum eſt Animabus adhuc ſibimet affixis, & adeo poteſt illas ſcandalizare, aut inperturbationem conijcere.

4 In ſtatu Sanctæ indifferentiæ Anima non habet amplius deſideria voluntaria, & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5 In eodem ſtatu Sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus: ut ſimus perfecti, & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6 In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum merito-

rito-

Digitized by Google

ritorum, ut noftrum intereffe omnium maximum : fed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem quam ipfe vult, & quam nos vult velle propter ipfum.

7 Derelictio non eft nifi abnegatio, feu fui ipfius renunciatio, quam Iefus Chriftus a nobis in Evangelio requirit poftquam externa omnia reliquerimus. Ifta noftri ipforum abnegatio non eft, nifi quoad intereffe proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, feu fui ipfius derelictio exerceri debet, funt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oftendendo perfugium, neque ullam fpem quoad fuum intereffe proprium, etiam æternum.

8 Omnia Sacrificia, quæ fieri folent ab Animabus quam maxime difintereffatis circa earum æternam beatitudinem funt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non poteft effe abfolutum in ftatu ordinario. In uno extremarum probationum cafu hoc Sacrificium fit aliquo modo abfolutum.

9 In extremis probationibus poteft Animæ invincibiliter perfuafum effe perfuafione reflexa, & quæ non eft intimus Confcientiæ fundus, fe jufte reprobatam effe a Deo.

10 Tunc Anima divifa a femetipfa expirat cum Chrifto in Cruce, dicens: Deus Deus meus, ut quid dereliquifti me. In hac involuntaria impreffione defperationis conficit Sacrificium abfolutum, fui intereffe proprij quoad æternitatem.

11 In hoc ftatu Anima amittit omnem fpem fui proprii intereffe, fed nunquam amittit in parte fuperiori, ideft in fuis actibus directis, & intimis fpem perfectam, quæ eft defiderium difintereffatum promiffionum.

12 Director tunc poteft huic Animæ permittere, ut fimpliciter acquiefcat jacturæ fui proprii intereffe, & jufte condemnationi, quam fibi a Deo indictam credit.

13 Inferior Chrifti pars in Cruce non communicavit Superiori fuas involuntarias perturbationes.

14 In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam feparatio partis Superioris Animæ ab inferiori. In ifta feparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione: Nam totum quod eft voluntarium & intellectuale, eft partis fuperioris.

15 Meditatio conftat difcurfivis actibus, qui a fe invicem facile diftinguuntur. Ifta compofitio actuum difcurfivorum, & reflexorum eft propria exercitio amoris intereffati.

16 Datur ftatus Contemplationis adeo fublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, itaut quoties Anima actu orat, fua Oratio fit Contemplativa, non difcurfiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejufque actus methodicos,

27 Ani-

Digitized by Google

17 Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis. Primo, in fervore nascente earum contemplationis. Secundo, Anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18 In statu passivo, exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor Zelotypus, simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19 Potest dici in hoc sensu, quod Anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20 In confitendo debent Animæ trasformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

21 Sancti Mystici excluserunt a statu Animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22 Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini Justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23 Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum motivum omnium actuū, qui deliberati, & meritorii sunt.

PROPOSITIONES AUGUSTINI CORNELIJ JANSENII A S. D.

INNOCENTIO X.

Tamquam hæreticæ damnatæ Anno 1653. 9. Junij.

1 Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2 Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.

3 Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

4 Semipelagiani admittebant prævenientis Gratię interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5 Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. FRAN-

FRANCISCUS TREVISANUS

PATRICIUS VENETUS

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cenetenſis Comes Tartij, &c.

Dilectis Fratribus & Filiis, Clero, & Populo Civitatis, & Diœceſis Cenetenſis Salutem in Domino ſempiternam.

SUprema ordinante Clementia factum eſt venerabiles Fratres, & cariſſimi Filii, ut devicta pugna adverſus carnem, & ſanguinem, maneremus in vocatione, qua miſericorditer vocavit nos Deus: cujus quoque decreto contigit (quod vos ignorare non putamus) ut curſu pluſquam decennali in Aula Romana conſummato, fideque in variis miniſteriis ſervata, vobiſcum in domum pacis Noſtræ, nobiſmetipſis vacare cupientes, ſeccederemus, nihil ſperantes, niſi in Chriſto Domino Noſtro. Hoc ſane quotieſcumque memoria recolimus, ſatis mirari non poſſumus, quanta humanitate, & benevolentia tenuitatem noſtram proſecuti, eamdem ex modio, ubi ſponte latebat, ſupra Candelabrum votis, & præcibus attraxiſtis; optantes nos in Paſtorem, cum prodeſſe, quam præeſſe vobis maluiſſemus. Ecce igitur, jubente Deo, vocanteque Sanctiſſimo Chriſti Vicario, Divinę voluntati, veſtroque amori reſiſtere haud æquum exiſtimantes, Epiſcopali oneri, Angelicis quoque viribus formidando, Chriſtiana obedientia humeros noſtros ſubmiſimus, haudquaquam in Nobis, ſed tantummodo in Domino, & in vobis fidentes. Quapropter rogamus vos, dilectiſſimi, per Viſcera Miſericordiæ Dei Noſtri, ut unanimes honorificemus Deum, gratias agentes, & una ſemper orantes, ut non recipiamus in vacuum gratiam ejus, nec vituperetur miniſterium Noſtrum: ſed propriæ infirmitatis conſcii, noſmetipſos reformare poſſimus, atque abjectis operibus tenebrarum, induamur arma lucis, recte ambulantes, & abundantes in officio, quod ſuſcepimus a Domino Jeſu pro ſalute Animarum veſtrarum. Divina itaque, & æterna Veritas, quæ novit abſcondita cordis noſtri, teſtari dignetur quam optemus connumerari, non inter mercenarios, ſed inter veros Paſtores, regentes vos in Spiritu lenitatis, & in plenitudine dilectionis. Et ſicuti per oſtium Divinæ pietatis, veſtrique amoris ingreſſi ſumus, ita libentiſſime deſiderabimus ponere Animam noſtram pro ovibus noſtris, attendentes, ne

 ulla

Digitized by Google

ne ulla pereat, exquirentesque perditam, donec inveniamus. Sic faveat miseranter inbecillitati nostræ suprema bonitas, ut cumprimum ad Sponsam nostram, cujus decorem unice diligimus, properare licuerit, tunc exemplis, & verbis palam facere valeamus omne consiliū Dei in vobis, & quæ justitiæ, & quæ pacis sectari, & quæ ædificationis, & maxime quæ dilectionis sunt, invicem custodire possimus, ut per rectum tramitem perducamur in agnitionem veræ virtutis. Ceterum sicut in omnibus, summa auxiliante misericordia, a Prædecessoribus Nostris numquam degeneres in dominici sanguinis dispensatione esse speramus; sic tamquam veri Pastores, non pasci, sed enutrire gregem nobis creditum semper cupiemus, quærentes non utile Nobis, aut gloriæ, Nostræ, sed id unum, quod pertinet ad Ovium nostrarum necessitates, & medelas, honoremque ejus, qui misit Nos. Veniemus ergo protinus ad vos, & os ad os loquemur: interim vero sicut oves, quæ vocem Pastoris etiam longe stantis audiunt, attendite, dum refundimus viscera nostra in vobis, quibus cum nobis erit semper cor unum, & Anima una. Mementote dignitatis vestræ, quia Dij estis, & Filii excelsi omnes: qui enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filii Dei. Estote fortes in bello, resistentes ijs, quæ militant adversus Animam vestram. Geminis hisce telis pugnate, ***Amore erga Deum, Amore erga Proximum***, scientes, quod plus recipit, qui plus diligit: etenim charitas virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Hæc modo vobis instantissime commendamus unde tota lex pendet: atque imposterum pro his obsecrantes, arguentes, opportune, & importune increpantes, sæpe sæpius, & semper vobiscum erimus. Filioli diligite Deum, diligite alterutrum, & in dilectione quoque erga nos, quæso, perseverate: & sic vos Deus adjuvet, quod humillime deprecamur.

Dat. Romæ ipsa die consecrationis Nostræ 10. *Augusti* 1710.

FRAN.

FRANCISCUS TREVISANUS

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cenetensis Comes Tarvii, Prælatus Domesticus, & Assistens &c.

Dilectis Nobis in Christo Universo Clero Civitatis & Diœcesis Cenetensis salutem in Domino sempiternam.

DIgnum, Filii dilectissimi, dignum & congruum Nostri Pastoralis Officii putamus in primis Dominici Sanguinis Dispensationibus, scilicet in primo Nostro Parochiali Concursu, & antequam ad Sacros Ordines a Nobis quispiam promoveatur, quidquid per Sanctos Patres, Canonicasve Sanctiones promulgatur commemorare. Bonum equidem opus desiderat, qui onus Parochiale desiderat, ac etiam licet id publice (*a*) petere; Quapropter & Nos exhibemus Concursum, quærentes quem mittamus, (*b*) & ita quisquis ex vobis cum Esaia respondere poterit: Ecce ego, mitte (*c*) me: Porro nemo non laudabiliter petet, si cum eodem Propheta prius per Altaris calculum (*d*) purgatus sit, & charitate impulsus se offerat; adeo ut non sibi sumat (*e*) honorem, sed qui vocetur a Deo tanquam Aaron, veluti Simon (*f*) Joannis, qui prodito erga Dominum amore responsum accepit: Pasce oves meas. Ceterum qui non onus, vel opus, sed honorem aut opes desiderat, & se Deo non propter Deum, (*g*) sed propter se perhibet, quærens (*h*) quę sua, non quæ Jesu Christi, is non inter Filios, (*i*) sed inter fures connumeratur; Unde sancitum est. Siquis non (*l*) Animarum lucro, sed inani gloria, vel avaritia fultus dignitatem acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, cumque insperata mors pęnitentem non invenerit, procul dubio in æternum peribit.

Quocirca Vos Charissimi peramanter monemus, ut nemo nisi mundo corde, & recta intentione, ac testimonio (*m*) bono ab iis qui foris sunt munitus ad Parochialem Concursum accedat. Sciendum quippe, quod & Nos teneamur graves, & expertos Viros consiliis Nostris (*n*) adhibere, qui de sine cujusque Vestri, de doctrina probitate, & prudentia nobiscum discutiant, ut dignior officio pręeligatur, (*o*) & simplex ac sine velamine consensus proferatur Electio; Repulsis ab eadem omnimodo qui Præesse, (*p*) non prodesse affectant, & qui ultro ambiunt, (*q*) vel importune se ingerunt: Importu-

a] *causa* 1. *q.7.c.3. ubi Glos. verbo* importune.
b] *Esaia c.* 6.*l.*C.
c] *Esaia ubi supra c.* 6. *lit.* C.
d] D.*Greg. in Regest.lib.* 6. *epist.* 5. *sive cap.* 169. *Ciriaco Epis. vide Causa* 8.*q.*1.*c.*9. *in fine.*
e] *Paulus ad Hæbreos* 5. *lit.* B.
f) *Joan.*21 *lit.* E.
g) *Paulus ad Phil.* 2. *c.* & *idem* 1. *ad Corinth: cap.* 13.*lit.*C D. *August. Tract.*40.*ad* C. 10. *Joannis.*
h) *Paulus ad Philip.* & *ad Corinth.* & D. *Aug. omnes ubi supra*, & *Causa* 8.*q.*1. *cap.* 19.

portune (r) quidem, hoc est, qui non publice meritis, & charitate, sed clam damnatis mediis communem Conscientiam audent provocare; Præsertim vero cum præ omnibus Curæ nostræ commendetur, (s) ut in Electione, nec datio quibuscumque modis interveniat premiorum, nec ulli quarumcumque Personarum Patrocinio convalescant, quia contra (t) Christum faciunt, qui gratia, non meritis gradum Ecclesiasticum requirunt, vel tribuunt.

Quod hactenus de Parochialibus dictum est, idem respective & de ordinandis. Testamur nempe Nos velle, ut omnia in vobis honeste, (u) & secundum ordinem fiant, ijs obsistentes, qui immature (x) esse properant, ne forte semper esse desinant, & periculosius cadant (z) quanto citius conscendere altiora festinant; Et favente Deo sollicitudo Nostra tota versabitur in ijs duntaxat admittendis, quos (Aa) vitæ & actionis qualitas dignos esse monstraverit. Hinc ergo Manus Nostras palam excutiemus (Bb) non tantum a munere, sed ab omni (Cc) munere, ut neque per commodum, (Dd) neque per humanam gratiam, aut quarumcumque Personarum instantiam aliquos ad Sacros Ordines consentiamus, aut permittamus adduci. Alte siquidem animis retinendum, quod Ordinationes, (Ee) quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicui ea intentione impenso, falsas dijudicari, Deumque prorsus (Ff) offendi, si ad Sacros Ordines non ex merito, sed ex favore, vel quacumque venalitate, quod absit, aliquis provehatur.

His omnibus enim Sanctorum Patrum Sententiis, sacrisque Constitutionibus huc vocatis, hortamur Vos dilectissimi, ne pro Parochialibus, vel Ordinibus Deum, Nos, & Vosmetipsos illicitis mediis tentetis, sed induti quique lorica justitiæ per rectam intentionem, per doctrinam, & probitatem alacri animo judicio exponamini. In ipso enim spondemus justitiam, & æquitatem miserante Domino Jesu Christo, a quo enixe Divinam Vobis Benedictionem exoptamus,

Dat. Cen. ex Castro N. S. Martini die 21 Nov. sub Deiparæ auspiciis 1711.

t] *D. Hy. ad Tit. c. 1. Cau. 8. q. 1: c. 114.*
u] *Paulus 1. ad Cor. c. 14. lit. g.*
x] *D. Greg. Adeodato Episc. lib. 2: indict: 11. ep. 47. c. 1. Cau 1 q. 1. c. 119*
z] *D. Greg Colũbo Episc. l. 22. ind. 11. ep. 47. Causa 1. q. 1 cap 120.*
Aa] *D. Greg. l. 4. ep. 56. seu cap. 100. Caus. 1. q. 1. c. 17. in fine.*
Bb] *D. Greg. in Evang. Tract. hom. 4. in fin. Causa 1. qu. 1.* de multiplici genere Simoniacorum *cap.* 114.
Cc] *ibid. Greg. & Causa. 1. q. 1.* de multiplici genere Simoniacorum.
Dd] *D. Greg. Ioanni Episc. Cor. l. 4. ep. 55. seu c. 99. Causa 1. q. 1. c. 116.*
Ee] Greg. *VII. l. 6. Reg. in Syn. Rom.* 1078. 19. *Novemb ut in Causa* 1. *quæst.* 1. *c.* 113.
Ff] *D. Greg. Colũbo Episc. l. 2. indi. 11. epist. 47. Causa 1. q. 1. cap.* 120.

i] *Causa 8. q. 1. c. 19: & Causa 1. q: 1. c. 113. in fine*
l] *Causa. 1. q. 1. c. 115. & ibi D. Gre. in Regest. ubi su.*
m] *Paulus Ep: 1. ad Timoth. c. 3. l. B*
n] *D. Greg. Adeodato Episc. lib. 2: indict. 11. epist. 47. Causa 1. q. 1. c. 119.*
o] *D. Greg. Syagrio Episc. lib. 7 ep. 110 Causa 1. qu. 7. cap. 3.*
p] *D. Aug. de Civ Dei l. 19. c. 19 Ansel. l 6. c. 28.*
q] *D. Greg. Syagrio Episc. l. 7. epist. 110 Causa 1: q. 7. cap. 7.*
r] *D. Greg. ubi sup. & ib. Causa 1. q. 7. c. 3. ubi Glos. ver.* importune.
s] *D. Greg. Regest l. 2. ep. 22. seu c. 62. Anton. Subd. Cau. 8. q. 2. c. 1*

FRANCISCUS TREVISANUS

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cenet. Comes Tartii
Prælatus Domesticus & Assistens &c.

Universo Clero Civitatis, & Diœcesis Cenet. Salutē in Domino sempiternā.

NUnquam satis, Filii dilectissimi, Pastorale officium humeris nostris, Divina favente misericordia, ut ut infirmis impositum exequi nos, ac præstare posse putamus nisi indefessa sollicitudine, ea quæ amoris sunt erga vos Nostri, & quę debent esse erga Deum vestri, & Nobis, & vobis commemoremus. (*a*) Nos etenim Prelationis culmen pro vobis non pro Nobis ascendimus, & ideo eo vos affectu debemus diligere, ut libentissime ponere debeamus Animam nostram pro ovibus Nostris: (*b*) Vos in sortem Domini vocati estis, & ideo sic Divini amoris incensi debetis incedere, ut tanti Ducis milites vere vos esse demonstretis. Quando igitur maximos Nobis de salute vestra sollicitis ad dicendum, atque ad clamandum stimulos addi sentimus: vos ita Nos audite, ut de obediētia vestra nihil omnino sit dubitandum, (*c*) ne si dulces Pastoris voces ad curandas oves infirmas prodesse queant, altæ, & graves ad surdas necessitentur: æque enim omnes ad Christi Tribunal adducendi sumus, ubi ex directo, & aspero de omnibus judicium instituetur, imminetq; fortasse illa dies, qua de Nobis, de vobis de ministerio vestro, de regimine Nostro cognosci debet; & terret animum Nostrum (*d*) D. Gregor. Nos admonendo, quod Pastorum culpæ subtilius judicabuntur. Ne itaque tam grave damnum pernicioso nimis, ac importuno silentio faciamus, cogamurque olim frustra lacrymantes exclamare: (*e*) Veh nobis quia tacuimus: neve propter silentium nostrum in die illa tremenda vos æternis ignibus damnari videamus, rogamus iterum atque iterum, ut quæ pro salute vestra dicere instituimus attente audiatis, ea mente, atque animo, ut evitantes viam perditionis ambuletis ad Dominum Jesum Christum.

Mementote Filij dilectissimi, ac attentius vos colligentes videte quid polliciti sitis in ipsa ordinum susceptione, inde enim optime intelligetis quid facere, ac præstare debeatis. (*f*) Vos genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis sic Deo vovistis, (*g*) ut nihil extra Dominum, partem hęreditatis, & Calicis vestri, vobis conveniat. Agite nunc: Essetne pars Domini, aut parti Domini conveniret vana illa, ac maxime exitiosa licentia morum (si qua in vobis esset) quæ nihil a libera Laicorum vivendi consuetudine differret, vel illa muneris, & characteris oblivio, per quam vos, (*h*) quos irrepræhensibiles in omnibus vult esse Apostolus, Laicis omnimode similes ostenderetis?

a] *D. Greg. in Reg.*

b] *Isid. rel. in c.p.D. 21.*

c] *Hugo de clau∫. anc.*

d] *in Psal.*

e] *Isai. 6.*

f] *D. Pet. in sua 1. Cath. c.2. n.9.*

g] *Hier. ad Nepot.*

h] *ad Tim. 3. tit. 1.*

Quod

Quod sane tunc fieret, cum laicalibus induti moribus, & ornamentis, vanitati potius, quam Religiosæ humilitati inservientes, decentem illum modum vestium a Sacris Canonibus (i) præscriptum negligeretis, per quem vos qui Divina tractatis a mundi illecebris dissentiamini. Heu filii, (k) cur amabo filij dilectissimi erubescere tam decora insignia, quibus Angeli quoque invidere solent? Cur habitus Noster, qui humilitatis solebat esse argumentum in signum gestare superbiæ? (l) Vincite vestem, qui Deo servitis, vincite aurum qui carnem vincitis, & sęculum, nec vestium ornamenta quærite sed morum. Quis etenim muneri Nostro, nobisque impediat, quominus irruamus violenter, postquam obsecravimus, & Canonum præscriptiones, & Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi constitutiones (m) ad hoc tam grave scandalum abolendum, executioni mandemus? Jam vero quam turpe sit, vos qui membrorum Domini prima pars estis, quique ad priscorum Patrum exempla vitam, moresq; componere debetis, comam nutrire, atq; alere, satis ipsi per vos intelligetis, ubi mentis oculos ad Patrum instituta, ac Summorum Pontificum decreta convertetis. (n) Nonne vel invitos tondere jubemur? nonne ab Apostolo summa ignominia capillos studiose collentes notantur? nonne Sacrorum Canonum lege jam lata (o) anathemate feriuntur? (p) Quapropter ita velimus incedatis qui cęlesti corona ornati estis, ut detonso capite, patentibusque auribus, vos populus Fidelis cum viderit, sentiat statim vos ab omnibus mundi illecebris, vanisque sæculi ornamentis, ut par est, omnino abhorrere. Quid præterea dicendum, si summo cũ dignitatis vestræ, decorisque damno, Tabernas frequentaretis, & (proh dedecus!) non tam attentus, & frequens in Ecclesiis pro Deo concursus, cui servire regnare est, quam in Tabernis pro Dęmone, cujus servitus est perpetua captivitas, videretur? Heu filij dilectissimi quam facilis esset inter vana Laicorum, & desidiosorum hominum colloquia, & compotationes ebrietas in iis, qui ceteris sobrietatem commendare debent! Quam faciles in vobis blasphemiæ, (q) qui ad laudandum Deum omnium maxime vocati estis! Quam proni luxuriæ fomites, quam turpia scandala, atque peccata, & quidem in vobis, (r) qui in lucem mundi positi estis, ut luceant opera vestra, & glorificetis Patrem vestrum qui in Cęlis est! Hoc est igitur munus illud Spiritus Sancti, quod proprium est vestri muneris, per quod & verbis, & exemplo, & operationibus saluti populorum tenemini deservire? Ad hoc igitur Filij in sortem Domini vocati estis, ad hoc Sacro Crismate tam solemniter inuncti, ad hoc Regali charactere insigniti, ut de vobis identidem, de dignitate vestra, atque adeo, quod summo cum animi sensu, ac dolore dicimus, de Regali Sacerdotio tam effusi risus

i) *c. penul. dist. 20. 23. c. 4. de vit. & hon. Cler. c. 7. ibi.*

K) *in Apolog ad Guliel: Abb.*

l) *D. Greg. li. de hab. virg.*

m) *Sess. 22. de Ref. c. 1.*

n) *c. Clericis 7. de vit. & h. Cleric:*

o) *c: si quis ibi.*

p) *Conc. I. Matisc: c. 5. & c. ult. Cõc. Constan. Sess. 24. de vit. & bon. Cleric. Conc. Trid. Sess. 24 de ref c. 6. Const. Sy. Cen. de vit. & ho. Cleri.*

q) *D. Aug. in pref. Psal.*

r) *D. Greg. in Luc. hom. 13:*

ans in populo concitentur? Pensate, amabo, pensate quanta sollicitudine a Sacris Canonibus caveatur, ne ejusmodi scandala oriantur,& quam graviter instent, ut a Nobis tollantur. (s) A crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter se abstineant, unde vinum sibi temperent; & se vino, ait Innocentius III. ac proinde præcipit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi cōmonitus a Superiore satisfecerit, ab Officio, vel Beneficio suspendatur. (t) Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, clamant ubique Canones, ac Sancti Patres quæ contumeliosa res est, & omnium vitiorum fomes & nutrix; qui secus fecerint, priventur, damnentur, puniantur: Videte igitur Filij, videte, quod non sine Nostri Paterni amoris gravissima cōmotione vobis significamus, videte ad quales necessitates munus Nostrum, (quod absit) compelleretis. Nulla ratione silentio præterire possumus malum aliud, & quidem gravissimū, a quo tamquam a facie Colubri vos fugere oportet. Pudet dicere quod tamen dicendum est; (u) neque enim laudabilis pudor præter veritatem, & sustinendus est in audiendo, ab eo qui in faciendo vicit disciplinam. (x) O vere excelsa Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in Utero Virginis incarnatur! Quid hinc Filij? audite (y) Canonem: Accedit, quod hoc Sacrificio Virginei Filij Dei caro immoletur, ut proinde summa Animæ, & corporis puritas exigatur. In hac Civitate Nostra, & in Diœcesi tam Diabolicum impuritatis monstrum neque credimus, neque suspicamur. Quis etenim ex vobis qui Templum Dei estis Apostoli minas non timet? Si quis violaverit (z) Templum Dei disperdet illum Deus. Si quis autem (quod absit) aut Nobis ignotus, aut inter conscientiæ incendia, & Diabolicas spinas absconditus fortasse ejusmodi labe infectus est, Pastoris quærentis ovem audiat gemitus, & ad lacrymas Jesu Christi conversus surgat tandem, cęcutientesque oculos adaperiat. Sentiat infelix se vovisse Domino suo, nec reddidisse; (A) ideoq; ęterno dignū esse supplicio; (B) Clamant Canones & Concilia, clamant ut surgat Pontifices, increpantq; redarguunt, & jubent, ut suspensione interdictoque ab introitu in Ecclesiam prohibeatur. Vos interim Filij dilectissimi qui mundi fertis vasa Domini, quiq; puram vitam agentes vere Dei Sacerdotes estis pergite ut cępistis in Domino: Fugite quod in vobis est pessimum monstrū, evitate pericula, & ab operibus immundis avertite cogitationes (C) In medio mulierum nolite cōmorari: de vestimentis enim procedit tinea, & de muliere iniquitas viri: (D) Quomodo si alligaveritis ignem in sinu vestro vestimenta vestra nō combureretis; aut quomodo si ambulaveritis super ignem pedes vestros non cōburetis? Quod si quis Paternis admonitionibus nostris nefario scelere resistet, intelligat, quod summo cum dolore dicimus Deum optimum maximum testantes, se ęterno judici, atque Ecclesiæ pœnas tandem esse daturum. (E) sed quia nec

s) c. a Crapula de vit. & hon. Cler.

t) 35. D. c. ante omnia. 44. D. c. cum autem. c. comessationes. c. nō oportet. c. nulli Cler. & per totam

u) D. Bern. sup: cant ser. 86.

x) D. Aug. Conc. 2. in Psalm. 36.

y) D. 11. c. 13. Sacerdotibus.

z) I. Corint. 13. v. 17.

A) D. Greg. l. 34. Moral.

B) c si quisquā de cohabit. mul. c seq c si quis D. 82. Conc. Tr. Sess. 25. de Ref. c. 14.

C) Eccles. 42. v. 13.

D) D. Hie. ad Ocea. de vit. & hon. Cleric.

E) D. Greg. in Luc. 12. hom. 13.

Digitized by Google

nec opus aliquod est bonum sine castitate, nec castitas sine bono opere, animadvertite insuper Filij quod a vobis postulet (E) Sacrosancta Tridentina Synodus; vitam scilicet, moresque omnes vestros sic compositos, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque rebus omnibus nil nisi grave, moderatum, & religione plenum habeatis. (G) Vos enim Petra salis estis in populis, & si sal infatuatum fuerit in quo salietur? (H) Si vos, per quos ceteri quasi condiendi sunt moribus, & exemplis in viam perditionis eos impellatis, ad nihilum valebitis ultra nisi ut ab hominibus, atque adeo a Dœmonibus conculcemini. In omnibus igitur nihil a vobis fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod deceat vestram sanctitatem. Consecrastis os vestrum Evangelio, ideoque illicita verba fugite, & otiosas confabulationes. (I) Labia enim Sacerdotis inquit Bernardus custodire debent scientiam, & legem requirent de ore eius, non nugas, non fabulas, non increpationes, non discursus otiosos, aut fraudolentes detrectationes. Vos igitur id agite, ut eum qui secundum doctrinam est sermonem obtineatis, vires animi in eo attendite, ut quæ vos fidelem populum docere oportet (cujus præsidium pene omne in vobis est collatum) omnino discatis. Quod equidem commodius efficietis, si a negotiis Sæcularibus, curisque civilibus abstinebitis, scientes quod Clericum negotiatorem pestem appellat Hieronymus, (K) clamant Canones, (L) incusant Concilia, anathemate Pontifices feriunt, jura denique omnia Divina, atque Ecclesiastica increpant; arguunt, puniri volunt, & condemnari. Qui etenim volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & noxia quæ mergunt homines in interitum, & perditionem (M) teste Apostolo. (N) Arma preterea ne deferatis: sacerdotis enim est monere, non arma movere, & arma Ecclesiæ Fides, arma Ecclesiæ oratio. Imitamini Dominū Jesum Christum, & pugnando cum antiquo serpente carnis, adversus quam vobis est colluctatio impetus cohibete; invisibiles hostes adversus vos insurgentes in fugam date. (O) Ad aleas, aliosq: ludos quod attinet, ubi dementia sine consideratione, ubi nulla veritas est ad venationes preterea ac cetera delectationis studia, adeo indecorū est, in iis vos permisceri, ut nihil supra. (P) Quid enim magis absurdum aut fieri, aut esse potest, quam si vel publice accipitrem deferat, vel folia lusoria in manu habeat, qui Breviarium, atq: adeo qui Divina omnia manibus tractare solet? (Q) Choreas insuper, fabulas, istriones, ceteraque spectacula ita fugite, ut in iis a Diabolo innocentiæ, morumque sanctitati insidias omnes structas, & collocatas esse existimetis. (R) Inclinate cor vestrum in testimonia Dei, & non in avaritiam (S) ne propter fragmentum panis, & pugillum hordei violetis Dominum vestrum. Bona facite studia vestra, vanaq; & obnoxia relinquite, quod autem

E] D.*Greg. in Ev ho.*13
F] *Sess.*22. *de ref.c.p.*
G] D.*Greg. hom.*17.
H] D.*Augu.de ser.*Do. *in mon. c.*6.
I] *lib.*2.*de cōsideratione*
K] *Epist.ad Nepot.*
L] *c.*2.*ne Cleric.Conti. Nicen. c.*17.
M] 1.*Tim.* 6.& 2.2.
N] *c. quicūq c.Clerici* XXIII:
O] *Cōc.Tr. Sess.*24.*de ref c.*12. *c.Cleri. de vit.& ho. Cl.c.inter dilect. de exec. Prel.*
P] *c.Episcopū de vena. c.omnis ibi.*
Q] *c. Cler. off.de vit.& ho.Cler.in* 6.
R] *Psalm.* 118.
S] Ezech: *c.*13. 19.

autem vobis ab eo studio, ac officio in quo estis superest otii, vel orationi, vel proximorum tempori salutique rasmittite: Oratio enim est anima, & spiritus vitæ perfectæ; & vos in vinea Domini assidue laborare debetis; (T) nam constituti estis ad hoc super gentes, & super Regna, ut evellatis, & destruatis, & disperdatis, & dissipetis, & & ędificetis. Tandem Filij dilectissimi, (V) ne obliviscamini legis meæ: Injicite pedem vestrum in compedes meas, erunt enim vobis compedes in protectionem fortitudinis, & basis virtutis, & vincula mea alligatura salutis. Quod quidem ita a vobis speramus, ut nihil præterea Nobis desiderandum relinquatur. Quapropter ad augendum meritum vestrum, sanctæ Obedientiæ stimulum ijs, quæ usque modo diximus addimus, & jubemus. Indicimus enim, præcipimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, sub pęnis supra a Sacr. Canon. expressis, & in Sacrosſ. Concil. Trid. contentis, ea quæ supradiximus omnimodo exequi, servari, & in hac Nostra Civitate, & Diœcesi sic adimpleri, ut Deus Optimus Maximus quotidie magis glorificetur, & Nos in eo amore quo usque huc vos omnes dileximus in via perseverare possimus, donec in Patriam una feliciter perveniamus; Quam Deus & Nobis, & vobis per suam Misericordiam concedere dignetur.

T) *Jer. c. 1. 10.*

V) *Prov. c. 3. 1. Eccl. c. 6.*

FINIS.

Digitized by Google

962

APPENDICIS
RUBRICÆ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM OMNIUM
QUÆ
hoc Conſtitutionum libro continentur.

Prior numerus Capitulum ſignat, poſterior paginam:

A

Cano-

Digitized by Google

tem-

D

Denun-

Digitized by Google

Digitized by Google

F

G

H

 quibus

Ius-

Digitized by Google

regrino-

N

O

P

Q

R

Dd Ægro-

Digitized by Google

Ritus

Digitized by Google

Dd 2 Societas

FINIS.

982



S. TITIANUS.
P. C.

710460

C. Mauro D. D. di Marcon